B10G.

Lietardo. viro doctissimo. ob amorem. priscarum rerum medicarum. admirabundus. hasce annorum praeteritorum. primitias. d.d.d. auctor.

ERASISTRATEA

QUAE IN LIBRORUM MEMORIA LATENT CONGESTA ENARRANTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA
BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE X. M. FEBR. A. MDCCCLXXXXII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ROBERTUS FUCHS
BALATIMORENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
R. HELM. STUD. PHIL.
O. PLASBERG. DRD. PHIL.
C. SCHMIDT. DRD. PHIL.

GUSTAVOS FOCK
LIPSIAE 1892.

12847

ERASISTRATEA,

QUAE IN LIBRORUM MEMORIA LATENT,

CONGESTA ENARRANTUR.

Notae.

Ca = Caelius Aurelianus, de morbis acutis.
Cc = Caelius Aurelianus, de morbis chronicis.
CA = Caelius Aurelianus, de morbis acutis et chronicis libri VIII Jo. Conradus Amman rec., Amstelaedami 1722.
K = Medicorum Graecorum opera quae exstant cur. Car. Gottl. Kühn, Lips. 1821—1833, 26 voll. in 28 partt..
Sch = Apollonii Citiensis scholia in Hippocratem et Galenum ed. Fridericus Reinholdus Dietz. Regimontii Prussorum 1834, 2 voll..

I. De Erasistrati apud veteres auctoritate.

Ad vitam scriptaque cuiuslibet hominis enarranda accessuris haud alienum videbitur esse, quanam apud aequales auctoritate is usus sit, diligenter anquirere. Nam quo quis maiori admirationi aequalibus suis fuit, eo dignior, cui operam studiumque navemus, habebitur. Atque in Erasistrato hanc potissimum quaestionem primo loco volui poni propterea, quod, quamvis magna antiquis temporibus gloria praeter ceteros floruerit, tamen memoria eius oblivione paene obruta est. Judicium autem nostrum de Erasistrato faciendum ab eo ni mirum maxime pendet, quem in huius modi rebus adire consuevimus, a Galeno, medico posterioris aetatis uno omnium clarissimo. Atque—quo melius rem dispiciamus—locis omnibus, quantum potui, Galenianis congestis iter instituturus sum ita, ut primum vituperationes examinem, deinde laudes pensem.

Vituperavit non solum hunc nostrum Galenus, sed etiam vehementioribus non nunquam verbis prosecutus est, cum eum diceret *exigua mente praeditum*[1], *consilii inopem*[2], *inertem in cogitando*[3], *rationis expertem*[4], *Pyrrhonis similem*[5], *stolidum*[6], *coquo in sectionibus paulo prudentiorem*[7], *vel prorsus stupidum vel raro admodum opera naturae videntem*[8], *omnia potius quam naturae opera cognoscentem*[9], *imperitum artis medicae*[10], *stultissimum*[11], *ineptos sermones conscribentem*[12], *inexercitatum in re medica*[13], *non videntem quae vel puer videret*[14], *hominem in lucem necopinum editum rerumque, quae ibi fierent, nescium*[15], *ignarum earum rerum, quae cottidie acciderent*[16], *in rebus omnibus notis admodum rudem*[17], *puerilem*[18], *nugatorem*[19], *ridiculum*[20], *scurram*[21], *garrulum*[22],

1) K. II, 111. 2) Jb.; II, 95; 126. 3) K. II, 109; X, 377. 4) K. II, 115. 5) K. II, 127. 6) K. II, 166; X, 377; XV, 247. 7) K. II, 91. 8) K. XI, 158. 9) K. II, 175. 10) K. XI, 201. 11) K. XI, 158; XV, 247. 12) K. II, 93; IV, 734; XV, 308; XVIII, I, 571. 13) K. X, 627. 14) K. II, 95. 15) K. II, 122. 16) K. II, 109; 125. 17) K. II, 125. 18) K. XV, 307. 19) K. VIII, 950. 20) K. II, 166; III, 541; XV, 247. 21) K. II, 62; 90; XV. 307. 22) K. VII, 547; XI, 214; 216; 221.

levem[23]), *indiligentem, ubi diligentia opus esset*[24]), *ubi opus non esset, diligentem*[25]), *ita socordem, ut quod recte dictum esset percipere non posset*[26]), *materiam male disponentem*[27]), *argumentis non allatis loquentem*[28]), *vitiosa ubique conscribentem*[29]), *incredibilia narrantem*[30]), *sophistam*[31]), *obscuritatem et tenebras libenter offerentem*[32]), *ordinem omnium rerum permiscentem*[33]), *abstruse disputantem*[34]), *mendacem*[35]), *veritatis parum amantem*[36]), *eos, qui legerent, fallentem*[37]), *impudentem*[38]), *ita ambitiosum, uti novarum rerum cupidus aculeata sophismata excogitaret*[39]), *malignum*[40]), *promptum ad contendendum*[41]), *domi inclusum nullo aegroto unquam viso libros componentem*[42]), *naturam neque imitantem neque adiuvantem*[43]), *naturae opus nusquam depingentem*[44]); *aegrum* autem ait *auxilio eius non indigere pessum datum ab initio*[45]); *patientes* enim *ab Erasistrato cunctante tempusque conterente quasi contundi*[46]); *immo vero etiam ipsum passiones temere procreare et augere*[46]), *ita ut homines ab eo interfecti morerentur.*[47]) Per ironiam quoque eum appellavit *optimum*[48]), *ad nimiam sapientiam procedentem*[49]), composuitque eum cum servo loquacissimo, qui in manifesto scelere deprensus conticesceret[50]), cum gubernatore, qui, postquam navem temere summersisset, tignis trabibusque salutem petiturus esset[51]), cum aurifice gemmas quam pulcherrimas homini oculis orbato faciente[52]), cum caeco, qui, quamquam altera via planior et brevior et commodior esset, tamen alteram magis arduam et longiorem et impeditiorem iniret[53]), quasi, quo modo ad finem perveniret, non curaret, dum modo perveniret.[53]) Praeterea autem eundem, cum Hippocrates Thessalum impugnare infra se positum habuisset, id facere dubitasse negavit, cum Hippocratem non modo contempsisset[54]), sed ne unum quidem librum eius legisset.[55]) Atque eum contendendi studio[56]) caecum latum esse dixit ita, ut cum ceteris[57]) tum gruibus stolidior videretur[58]), et tam malignum fuisse, ut illi crimini haberet, quod inedia aegros

---

23) K. II, 109; X, 377. 24) K. VII, 544. 25) K. X, 377. 26) K. II, 141. 27) K. VII, 570; II, 104. 28) K. VII, 540. 29) K. VII, 542 sq.. 30) K. VIII, 311. 31) K. II, 141; 166; V, 105; 133. 32) K. V, 140; III, 365. 33) K. VIII, 313. 34) K. V, 553; III, 513; VII, 570; VIII, 312; 313; X, 120. 35) K. II, 92 sq.; IV, 495; 736; VIII, 552; IX. 82; XV, 307. 36) K. V, 685. 37) K. VII, 537. 38) K. II, 77; 108; IV, 736. 39) K. II, 141. 40) K. XV, 702 sq.; 744. 41) K. V, 131 sqq.. 42) K. XI, 159. 43) K. XI, 158 sq.. 44) K. XI, 159. 45) K. X, 377. 46) K. XI, 179. 47) K. XI, 193. 48) K. XVI, 41. 49) K. II, 187. 50) K. II, 66 sq.. 51) K. X, 377 sq.. 52) K. X, 379. 53) K. XI, 157. 54) K. II, 60; 66; 110; V, 104; 131; 143. 55) K. II, 132; XI, 159 sq.. 56) K. XI, 162; V, 685. 57) K. XI, 167. 58) K. XI, 168.

homines sua sponte interfecisset[59]); vetustioribus quoque medicis eisque apud Graecos clarissimis ut Diocli et Praxagorae eum obtrectasse[60]) ac, quotiescunque illorum praecepta laudibus efferre debuisset, eum libenter fugisse[61]), cum contra Chrysippum nimis collaudasset[62]) ad tantamque audaciam processisset, ut ne gravissimis quidem periculis, in quae aegros mentiendo adducturus esset, ab eo praedicando avocari posset.[63]) Consensit cum Galeno in Erasistrato vituperando unus semel homo Romanus, Celsus, qui eum contemplari rerum naturam non novisse[64]) scripsit.

Tanta silva opprobriorum perlecta an „Ilicet, actum iam est de Erasistrato" clamites, dubito, tamen iniuste profecto faceres nec Galeni mentem satis perspexisse viderere. Minuuntur enim ista, dum teneamus alia crimina esse in maius vero aucta[44]), alia omnino ficta[37]), alia Erasistratum minus quam Erasistrateos spectare, qui deposita omni verecundia quasi subito experrecti vilibus et agrestibus verbis Galenum petierant[65]), alia nec minus acerba in alios quoque eosque celeberrimos medicos Graecos esse dicta velut in Thessalum[66]), Archigenem[67]), Asclepiadem[68]), alia eum, qui vituperat, ipsum prae se tulisse velut se esse loquacem.[69]) An Galenum praecipitem alias in iram in eius, quem maxime colebat, laude defendenda sine ira ac studio iudicaturum simile veri est? Neque probari omnino potest praecepta Hippocratis Erasistratum redarguisse, cum ea non legisset; immo vero conquisita esse ab eo Hippocratea dicuntur itinere in plurimas provincias Graeciae facto[70]), quibus verbis, licet pro fictis habeas, aliquid veri inesse negare vix potes. Sed multo graviora argumenta sunt, quibus Erasistratum a Galeno plurimi aestimatum esse comprobatur: eum enim dixit *optimum*[71]), *clarissimum*[72]), *celeberrimum*[73]), *memoratu dignum*[74]), *tantum*[75]) et se negavit dubitasse laudibus efferre Erasistratum, quo tamen minores Hippocrates aut Plato non fuissent[76]), et Asclepiadem risit, quod Herophilum, Erasistratum, Hippocratem despexisset[77]); quin etiam *cum Hippocrate*, parente videlicet artis medicae, eum *concertasse* concessit[78]) eumque

59) K. XV, 478. 60) K. II, 132; 134; III, 316; XVI, 41 (de philosophis et medicis); V, 143 (de Diocle et Praxagora). 61) K. XI, 172. 62) K. XI, 171. 63) K. XI, 172. 64) Prooem., ed. Daremberg, Lips. 1859, p. 10. 65) K. IV, 729; XI, 229. 66) K. X, 379. 67) K. X, 558. 68) K. II, 165. 69) K. VI, 310; 347. 70) In Galeni, qui fertur, de cathart. libro = Galen. adscr. libr., Basil. 1562, p. 94. 71) K. II, 30; XI, 210; XVI, 38. 72) K. VI, 295. 73) K. XVI, 40. 74) K. X, 375. 75) K. X, 379. 76) K. II, 132. 77) K. III. 468. 78) K. I, 184.

celebravit, quod esset *subtilis admodum in describendo*[79]) *satisque multis argumentis quae statuisset illustrasset*[80]), ut accuratiore descriptione opus non esset.[81]) Itaque eos ridiculos esse, qui prudentius aut probabilius quid statuisse sibi viderentur[82]) quam is, qui *scientiae medicae plane satis fecisset*[83]) *quemque nihil fugisset.*[84]) Ac ne malignum quidem animum eius fuisse tum meminit, cum eum *aequom probumque* diceret.[85]) De uno autem loco Galeniano dubitare licebit, sincerumne iudicium sit necne: eum dico, ubi scriptum invenitur Erasistratum, *prudentissimum hominem, quem non nulli cum Hippocrate contulissent,* remedium optimum, sanguinis missionem, praeteriisse[86]), quamquam a Galeno ipso eum Hippocrati parem habitum esse supra[78]) adnotavi. Nec dissenserunt alii summi et gravissimi ipsi quoque auctores, Plutarchus[87]) enim figura gradationis, quam vocant, usus de *Herophilo vel Erasistrato vel ipso Aesculapio scripsit,* Lucianus[88]) *medicum* nomine non addito eum appellavit, Appianus[89]) *clarissimum* idemque[90]) *virtute* ait *et sapientia singulari eum praeter ceteros floruisse,* Apollonius Citiensis[91]) *optimum medicum* eum fuisse commemoravit; in Sorani Ephesii in artem medendi isagoge saluberrima, quae fertur[92]), laudibus elatus est, quod *et in arte erat perfectus et moribus optimus;* Sextus Empiricus[93]), ubi exemplo ex arte medica petito uti voluit, hunc quam alium nominare maluit; Georgius Syncellus[94]) — unde talia desumpserit, parvi refert — *clarum* eum appellavit; Georgius Cedrenus[95]) miro admodum casu adductus, cum hunc locum prave interpretaretur, *qui Clarus vocatur* litteris mandavit. Qua cum laude plane consenserunt Romani homines, quorum Celsus[96]) *maiorem* eum quam alios esse ait, Plinius[97]) *maximi medici auctoritatem*, Gellius[98]) *nobilem:* Macrobius[99]) denique *nobilissimum.* Ex quo intellegitur haud indignum esse Erasistratum, cuius memoria ab hominum oblivione vindicetur, quam ob rem sescenta me exempla undique congessisse

---

79) K. V, 206; XI, 147; 149; 201; 214 sqq.. 80) K. V, 281. 81) K. V, 166. 82) K. II, 648. 83) K. XI, 147. 84) K. II, 88. 85) K. V, 131. 86) K. XI, 157. 87) De curiosit. 7, init.. 88) De dea Syria 17. 89) Hist. Rom., Syr. 59. 90) Ib., paul. infra. 91) Sch. t. I, 74. Cf. quoque quae de Antigoni Carysti loco quodam infra (III, not.[6])) exponentur. 92) cap. I = medic. antiq. omn. qui Latin. litt. . . ., Venet. 1547, p. 159 A. 93) Adv. log. II, 188. 94) Chronograph. p. 274 B = corp. script. hist. Byzant., Bonnae 1829, t. I, 520. 95) Histor. compend. pag. 166 D = l. l., Bonnae 1838, t. I, 292. 96) Prooem. = ed. Daremb. p. 8. 97) Hist. nat. XIV, 9, 1. 98) Noct. Att. XVII. 11. 99) Saturn. VII, 15.

non taedet, praesertim cum uno alterove loco inspecto praeter falsa nihil, omnibus in unum collatis permultum certi effici in hac potissimum causa persuasum habeam. Quibus laudibus, quarum pars altera ad homines neutrius partis studiosos refertur, altera vel ad adversarios Erasistrati, apte addi possunt eae, quae a discipulis profectae sunt. Admirabantur enim eum, quasi deus fuisset, Galeno[100]) teste eumque a vero nunquam aberrasse confidebant[100]) neque, ut laudare desinerent, adduci poterant[101]); Martialis autem, qui Galeni temporibus unus fuit ex Erasistrati grege *θαυμάσιον* eum fuisse professus est.[102]) Praeterea vero, quae eius fuerit auctoritas, cognosci potest ex posterioris aetatis celeberrimis medicis, quorum omnes ferme persaepe ad eum provocaverunt, nisi alienis bonis gloriari maluerunt. Scripseruntque in eum multo post eius mortem Asclepiades *libros παρασκευαστικοὺς* vel *contradictorios*[103]), Galenus unum *de venae sectione in Erasistratum*[104]), *tres commentarios in primum Erasistrati de febribus librum*, in tertium *quinque περὶ τῶν Ἐρασιστράτου θεραπευτικῶν λογισμῶν*[105]), tres *de Erasistrati sectionibus*[106]), unum *contineantne natura sanguinem arteriae*[107]), unum *de necessitate respirandi*[107]), tres *de naturalibus facultatibus*[108]), quorum in his quaecunque in huius *generalibus* naturalium functionum *quaestionibus* [108]) inerant sub examen vocata erant.[108]) Atque in Galeni libro, qui *τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις* inscribitur[109]), duae voculae Erasistrati expositae sunt, quarum alteram, *ἄμβην*, Erotianus[110]) in lexico suo receperat. Fortasse etiam ab aliis — id quod suspicor potius quam affirmo — ut Hippocratis ita huius praecepta commentariis illustrata sunt[111]); hoc saltem certum est ea Galeni etiam temporibus ab asseclis publice recitata et explanata esse.[112])

---

100) K. II, 91; XI, 158; XV, 306. 101) K. II, 91; IV, 729. 102) K. XIX, 14. 103) Ca II, 33 = CA p. 150; Cc II, 13 = CA p. 416; V, 2 = CA p. 566. 104) K. VI, 296; X, 616; XIX, 30; 37. 105) K. XIX, 31; 37. 106) K. XIX, 37. 107) K. XIX, 38. 108) Jb.; cf. quoque 14. 109) K. XIX, 142; Erotiani Galeni et Herodoti glossar. in Hippocrat. rec. Franzius, 1780, s. v. ἄμβην et στρυμάργου. 110) Jb. p. 86. 111) K. XVII, I, 506; 515. 112) Comp. K. XVII, I, 506 cum 515 et XIX, 13 sq..

II. Qua aetate Erasistratus fuerit.

Nec quo anno Erasistratus natus sit nec quo diem supremum obierit, testimoniis veterum firmari potest, sed quo fere tempore fuerit, duplici memoria cognitum habemus, altera Plini[1]), altera Eusebi interprete S. Hieronymo[2]), quorum ille Erasistratum circiter CCCCL annum urbis Romae, hoc est circiter annum a. C. n. 304 fuisse scripsit, hic Antiocho Deo Syriam gubernante anno ab Abrahamo 1759 vel Olymp. 130,3 vel anno consulum 254 agnitum esse tradidit, hoc est anno a. C. n. 258—257. Quae testimonia in unum coeunt, cum Plinius medium fere aetatis annum, Eusebius eum, quo maxima auctoritate fruebatur, designarit. Senem autem eum praestantissimum factum esse III, not[31]) sq., ubi de vita eius dicam, comprobaturus sum. Jam in hoc apte quadrare videtur, quod medicus Seleuci I Victoris, Syriae regis[3]), et Ptolemaei II Philadelphi, Aegypti regis[4]), fuit. Alia autem argumenta afferre

1) Hist. nat. XIV, 9, 1. 2) In patrol. curs. compl. accur. J.—P. Migne, 1866, t. XXVII v. 8, p. 410. 3) Anno a. C. n. 312—280. 4) Anno a. C. n. 285—247. Philadelphi autem cognomen neque apud Plinium (hist. nat. XXIX, 3, 1; VII, 37, 123, ubi, si Cleombroti nomen aut auctoris aut librariorum incuria immistum correxeris, tuo iure ages) neque apud Caelium Aurelianum (Cc V, 2 = CA p. 566) exstat, qua re viri docti adhuc haesitaverunt. Ptolemaeum enim illum fuisse Philadelphum homo doctissimus Francogallus, cui nomen est Le Clerc (Histoire de la médecine, part. II lib. I, c. 2), primus docuit, reliqui velut Schwarzius (Herophilus und Erasistratus, eine historische Parallele, 1826), Liebmannus (Quos medicina progressus fecerit per Herophilum Erasistratumque et asseclas, diss. inaug., Wirceburgi 1845), Haeserus (Lehrbuch der Geschichte der Medicin und der epidemischen Krankheiten, 1875), Darembergius (Histoire des sciences médicales I, 160) Lagi filium fuisse rati sunt, cum Erasistratum non multo post annum a. C. n. 304 mortuum esse Plinium (hist. nat. XIV, 9, 1) male interpretati arbitrari videantur. Sed hi, quid agerent, non viderunt: Erasistratum enim nepotem Aristotelis fuisse affirmaverunt; atqui si Aristotelem annos a. C. n. 384 intra et 383, Erasistratum circa 345 natum esse ponas — quamquam illum ante Platonem mortuum, id est ante annum 347 uxorem duxisse veri simile non est — circa annum 304 decedere hic omnino non potuit, quoniam senem admodum eum mortuum esse (id quod infra videbis) testimoniis et aliorum et Erasistrati ipsius probatur. Accedunt alia; accepisse fertur Erasistratus centum talenta a Ptolemaeo, quem filium Antiochi fuisse Plinius (ll. ll.) simulat; ab utro quaerenti respondendum erit: ab illo videlicet, quem liberalissimo in homines eruditos animo fuisse testimoniis constat plus uno (cf. quae Droysenus in libro Geschichte des Hellenismus t. II [1843] p. 236 sq.; 338 sq. et Augustus Pauly in libro Realencyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft t. VI, 1 [1852] p. 191 sqq. testimoniis

nolo, quia in illis medici non magis noti quam hic commemorantur, quorum de aetate nihil certi adhuc convenit.[5]) Fueritne grandior natu minorve Herophilo, viri docti enucleasse saepius sibi visi sunt: illud Hallerus[6]), Hartmannus[7]), E. C.[8]), hoc Dezeimeris[9]), Sprengelius[10]), Beckius[11]), Kuehnius[12]), Marxius[13]) proposuerunt. Neutri autem causas, quibus suscribam, attulerunt, et Kuehnius[12]) ipse utrosque oleum suum perdidisse demonstravit. Nec tamen id, quod voluit, confecit, qua re egomet pluribus argumentis congestis illos errasse ostendam. Etenim si locos composuerimus, quibuscunque certo ordine medici veteres videntur enumerari, nihil ex eis de aetate posse effici cognoscemus: nam Erasistratum Herophilum Galenus[14]) et Caelius Aurelianus[15]), Herophilum Erasistratum idem Galenus[16]) et Celsus[17]) saepius intulerunt. Quam ob rem Erasistratum, aequalem fere Herophili[18]), annos a. C. n. 340 intra et 250 fuisse satis habemus accepisse.

---

veterum nisi egregie exposuerunt), hoc est a Philadelpho. Atque malagma arthriticum idem promisisse traditur Ptolemaeo, regi ni mirum illi, quem arthrite affectum fuisse novimus, hoc est eidem Philadelpho (Caeli testimonium, quod modo laudavi, definitur locis, quos Augustus Pauly l. l. congessit). Alii vero aut optionem nobis fecerunt, utrum significatum malimus, aut omnino nihil adnotaverunt. 5) K. XI, 149; XVIII, I, 7. 6) Biblioth. anatom. t. I, 56. 7) ‚Origines anatomicae' in ‚fasciculo dissertationum ad historiam medicam speciatim anatomes spectantium' cur. D. Kurella, inde a pag. 68. 8) In libro, qui inscriptus est ‚Gazette médicale de Paris', tom. VII, 609 sqq. anni 1839. 9) Dictionnaire historique de la médecine ancienne et moderne, s. Érasistrate. 10) Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde I, 563. 11) De schola medicorum Alexandrina commentatio, Lips. 1810. 12) Opusc. II, 303 sqq.. 13) Herophilus, ein Beitrag zur Geschichte der Medicin, 1838, p. 68, not. [39]). 14) K. V, 879; XI, 433. 15) Ca II, 6 = CA p. 84; 18 = CA p. 123; 29 = CA p. 128; III, 4 = CA p. 192 sq.; 17 = CA p. 244 sq.; 21 = CA p. 262 sq.. 16) K. XIV, 683; Claudii Galeni Pergameni omnia quae extant in Lat. serm. conversa, Basil. 1561, part. I, p. 101 D. 17) III, 9 duobus locis. 18) K. X, 28; XVIII, I, 7. Cf. praeterea Cels. prooem. = ed. Daremb. p. 2; recentium autem, qui hoc statuerunt, Haller., biblioth. pract. I, 122; biblioth. chirurg. I, 18; Marx. in libro Herophilus, ein Beitrag zur Gesch. d. Medic., 1838, p. 68, not. [39]); eund., de Herophili, celeberrimi medici, vita etc., Gotting. 1836, p. 92; Liebmann., Quos medicina progressus fecerit per Herophilum Erasistratumque et asseclas, diss. inaug., Wirceburgi 1845, p. 14; Puschmann., Alexander von Tralles, Originaltext und Übersetzung, Wien 1878, t. I, 40.

III. Unde oriundus fuerit Erasistratus quaeque de vita eius veteres memoriae tradiderint.

Illud primum in hac causa velim attendatur: alterum fuisse Erasistratum, qui Sicyonius[1]) vocatur, alterum eum, de quo agimus. Hic enim Julietes[2]) fuit, natus Julide, in oppido Ceae insulae testibus Strabone[2]) et Suida.[2]) Chium[3]) Coumve[4]) autem eum ab aliis appellari mirum non est, cum propter litterarum similitudinem facillime alterum pro altero poni potuerit.[5]) Atque cur Samius[6]) appellatus sit, manifestum est: Suidas[2]) enim eum apud Mycalen montem sepultum esse scripsit fonte multo vetustiore usus, ex quo Apollonius Citiensis[6]), Julianus eum ibi natum esse concluserant.

Nec qui parentes fuerint, adhuc convenit: patrem quidem eius Cleombrotum omnes agnoverunt Suidae[2]) eodem testimonio moti, de matre autem ambigunt, cum aut Plinio[7]) aut Sexto Empirico[8]) et Suidae[2]) fidem habeant. Ille enim *Aristotelis filia genitum* Erasistratum appellavit, hi Cretoxenam, sororem Medii medici, aut nominaverunt aut significaverunt. Plini autem auctoritas, quamvis magnam aliis in causis ponas, tamen hic certe spernetur propterea, quod nomen celebrius istud Pythiadis, Aristotelis filiae, pro obscuriore Cretoxenae facilius substitui videtur posse quam hoc pro illo. Sextus vero Empiricus eo dignior est, quem sequamur, quo diligentius hanc rem tractavit; tres enim Pythiadis maritos quosque cui infantes peperisset, enumeravit, nec tamen Erasistrati

---

1) K. XIII, 356. Ex Theocr. hypoth. XI nihil certi colligitur. 2) Athen. dipnos. XV, p. 665 E vel F; Strab. geogr. X, c. 486 § 6 = X, 5, 6; Suid. lex. s. v. Ἐρασίστρατος; Steph. Byz. s. v. Ἰουλίς. Cf. quoque Fabric. bibl. Harles. t. III, 492. 3) Joann. Stob. floril. VI § 57 = ed. Meineke I, 171; K. XIV, 683; Claud. Galen. Pergam. omn. quae ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I, p. 101 D. 4) Plin. hist. nat. XXVI, 6, 2; VII, 37, 123 autem recte traditur *Ceo*, sed errore nescio quo *Cleombroto*; Erasistratum designari ex eis, quae adiecta sunt, cognoscitur (cf. not. [23])); Steph. Byz. s. vv. *Κῶς* et *Ἰουλίς*. 5) COS et CEOS saepius permutata esse Salmasius exposuit in Plin. exercit., Trai. ad Rhen. 1689, t. I, p. 102 b a sqq.; quae res Petrum Castellanum fefellit (cf. vit. illustr. medic., Antv. 1618). 6) In Antig. Caryst. histor. mirab. collect. explic. ab Joanne Beckmann, 1791, p. 182 = c. 132 is, qui edidit, pro Ἡρόστρατόν legi iussit Ἐρασίστρατόν, quod Samius aliquis exspectaretur, Erasistratus autem Samius a quibusdam appellatus esset, qua re ad Julianum, misopog. p. 347 = ed. Hertlein, 1876, p. 448 revocavit. Sed haec ratio speciosa nec sat credibilis; certa insunt in Sch. I, 74. 7) Hist. nat. XXIX, 3. 1. 8) Adv. gramm. I, 12, 258.

mentionem fecit. Huc accedit quod, quomodo Plinius aberrarit, in propatulo est; scilicet cum Metrodorum magistrum Erasistrati fuisse[8]) non ignoraret eundemque maritum Pythiadis, hunc filium Pythiadis fuisse arbitratus est. Quod quo est clarius, eo difficilius inventum est; nam Rosenbaumius[9]) primus, quantum video, hanc rem perspexit, cum alii haesitarint, alii causa non addita temere verba dederint.[10])

De vita autem eius perpauca novimus, quia pleraque omnia de hac re scripta deperierunt. Quam ob rem nihil nisi male cohaerentia ponere mihi licet, quorum non nulla in medicorum biographis recentioribus dispersa inveniuntur; congesta, ut unum faciant, non iam sunt. Discipulus igitur erat Metrodori medici, tertii Pythiadis, filiae Aristotelis, mariti[8]), qui Chrysippi Cnidi scholas adulescens frequentarat.[8]) Postea autem Chrysippo ipsi erudiendum se videtur dedidisse testibus Plinio[11]), Diogene Laertio[12]), Galeno[13]), quos errasse, cum pro Metrodoro minus claro clariorem Erasistratum substituerent, minime probatur, praesertim cum Diogenes Erasistratum se plurimum debere Chrysippo scripsisse affirmarit. Theophrasto vero eum operam dedisse ab eis certe fictum est, quorum intererat celeberrimo in arte medica duci eiusque quasi patrono parentique celeberrimum philosophiae magistrum attribuere. Erasistratei videlicet eum laudaverunt, quod Theophrasti disciplina fructus esset[14]), et Diogenes Laertius istos potissimum videtur secutus esse.[15]) Obstant ni mirum complura: primum quod Peripateticus omnino non erat[16]), secundum quod eum cum Theophrasto de natura laudanda consensisse, alias ab eo dissensisse Galenus saepius scripsit[17]), tertium quod etiam in medicaminibus inveniendis longe aliam viam intrare solebat.[18]) Multum autem temporis consumpsit in superiorum medicorum scriptis perlegendis[19]), quin etiam Hippocratis libros summo cognoscendi studio inflammatus

9) In Erschi et Gruberi encyclop. I, 36, p. 151 sqq.. 10) Velut Liebmannus, Quos medic. progress. fec. per Heroph. Erasistratumque et assecl. p. 14. 11) Hist. nat. XXIX, 3, 1. 12) VII, c. 7 § 10 = VII § 186. 13) K. XI, 151 sq.; 171; 197; 228. Neque Rosenbaumi (not. [9])) mera suspicione quicquam adiuvamur. 14) K. IV, 729. Rosenbaumium (not. [9])) errasse, cum *συνεγένετο* nihil aliud significare nisi Erasistratum Theophrasti aequalem fuisse diceret, nemo non videt. Contra proprio sensu accipiendum est *convenit cum eo*, velut *συνέτυχεν* (K. II, 107), nisi forte eum Peripateticorum quorundam aequalem fuisse negare audes, id quod falsissimum est. 15) V, c. 2 § 15 = V § 57. Sic Fabricius (biblioth. ed. Harles. III, 492). 16) K. II, 90; 107; XV, 306 sq.. 17) K. II, 88; 91; XV, 306 sqq.. 18) K. II, 90. 19) K. V, 137 cf. cum 140 sq..

itinere per provincias facto conquisivisse fertur.[20]) Quod autem de Homeri versibus cantandis Galenus pseudepigraphus tradidit[20]) narratiunculae speciem prae se fert. At tamen hoc certum est eum in philosophiae quoque disciplinis laudem non parvam adeptum esse, ut mirum non sit, quod a Sorano, qui vocatur[21]), *philosophus* dictus est. Postea autem ad Seleucum Victorem, Syriae regem, se contulit, quocum amicitia se coniunxit.[22]) Causa amicitiae videlicet fuit, quod Antiochum, regis filium, cum reliqui medici nescii valetudinis haesitassent, morbo cognito curavit.[23]) Is enim Stratonicen adamaverat, paelicem patris, quae ei iam pepererat, sed, quid mali esset, eloqui non ausus morbo vehementi affectus est. Erasistratus autem, qui ex animo, non ex corporis parte ulla laborare iuvenem cognoverat, cum Stratonice praetereunte mentem eius perturbari vidisset, regem eo adduxit, ut concubinam ei in matrimonium traderet. Quae fabula ab aliis aliter enarrata multisque insuper rebus exornata aliquid veri profecto habet: Stratonicen ab Antiocho amatam, postquam huius animi perturbationis causa ab Erasistrato perspecta est, in matrimonio ei esse collocatam. Quod ne mirere neve potuisse fieri neges, exempla alia respicere liceat velut Perdiccae, regis Macedonum, Philam, patris concubinam, amantis ab Hippocrate sanati[24]) et uxoris Justi

---

20) Cf. I, not. [70]). Hunc Hippocrati legendo studuisse Galenus quoque invitus concessit K. XVI, 41. 21) Quaestion. medicin. in ‚Anecdot. Graec. et Graecolat. von Dr. Valentin Rose‘, 1870, t. II, p. 255 § 61. 22) Appian., hist. Rom., Syr. 59 aliquoties. 23) Plutarch., Demetr. c. XXXVIII § 907; Appian. l. l.; Lucian., de dea Syr. 17 sq.; de saltat. § 58 = ed. Jacobitz t. II, p. 229; Icarom. § 15 = ib. t. III, p. 49; *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* § 35 = ib. t. II, p. 35; *περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ* schol. ad § 14 = ib., t. IV, p. 233; K. XVIII, II, 18; 40; XIV, 630 sq.; Theophil. et Stephan. Atheniens. de febr. differ. ex Hippocr. et Galen. ed. Demetrius Sicurus, Florent. 1862, p. 34; Apoll. Cit. = Sch. t. I, 74 sqq.; Julian., misopog. p. 347 sq. = ed. Hertlein, 1876, p. 448, 2 sqq.; Aristaen. epist. rec. Boissonade, Lutet. 1822, l. I, 13 = p. 60 sqq.; Georg. Syncell., chronogr. p. 274 B = Corp. script. hist. Byz., Bonnae 1829, t. I, 520; Georg Cedren., historiar. synops. p. 166 D = ib., 1838, t. I, 292; Suid. s. vv. *Ἐρασίστρατος*, *ἐξ ἔρωτος*, *Σέλευκος*; Joann. Tzetz., historiar. var. chiliad. VII, 118 vers. 167 sqq.; Valer. Max., fact. et dict. memor. l. V, c. 7 = ed. Car. Hahn p. 261 (qui Leptinem mathematicum Antiochi morbum sanasse tradit); Plin., hist nat. XXIX, 3, 1; VII, 37, 123, cf. [4]). Omnes loci adhuc congesti non erant, alios alii laudaverunt; complures ab omnibus omissi sunt. 24) Soranum veterum, Petrum Castellanum (vit. illustr. medic. authore P. C., Antverp. 1618, p. 70) recentium tale quid tradidisse commemoraverunt Eloy in libro, qui inscribitur ‚dictionn. de la médec. anc. et mod.‘ s.

a Galeno conservatae.[25]) At tamen cave ne singulis ex rebus quicquam lucrari videare, velut uxoremne habuerit Erasistratus necne[26]): illis potius committas, qui, cum nihil scirent, tamen plus auctoribus suis scire voluerint ideoque fabulas vere Milesias struxerint. Praemii autem loco a *Ptolemaeo, filio Antiochi, sacris Megalensibus* accepisse dicitur centum talenta.[27]) Antiocho sanato — quo tempore hoc factum sit, non constat — Alexandream se contulisse videtur, ut Ptolemaei Philadelphi valetudini consuleret.[28]) Ibi quoque Stratone discipulo utebatur amico, qui posthaec servos[29]) vel alumnus[30]) Erasistrati habebatur. Sub finem autem vitae artem dissecandi exercere coepit[31]), ni mirum ut ea, quae vel ab aliis vel suo ipsius usu comperta habuerat, ad normam naturae examinaret, senexque admodum vita artificiose consummata[32]) diem supremum obiit. Mortuus esse traditur veneno ob insanabile pedis ulcus sumpto exclamans haec: *Feliciter quod patriae memor sum!*[33]) Sepultus est apud Mycalen montem adversus Samum.[34]) Restat ut de itinere Delphos facto et de dicto quodam Erasistrati pauca addam. Illud enim, quod in vita describenda certum locum designare non potui, adhuc omisi. Narrat igitur Caelius Aurelianus[35]) dentiducum plumbeum in Apollinis Delphici templo ostentatum, ut laxatos dentes auferendos significaretur, ab Erasistrato commemoratum esse. Ergo Erasistratum illic fuisse probabile est et, si de tempore quaeramus, spatium inter studia litteraria exacta et munus a Seleuco rege susceptum maxime aptum fuisse iudicabimus.

Érasistrate et Henr. Beckius in commentatione ‚de schola medicor. Alex.' composita, Lips. 1810, quos libros adeat, si quis haec persequi voluerit. 25) K. XIV, 626. Noli neglegere quae Galenus scripsit K. XVIII, II, 18: ἀληθῆ . . . ἱστορίαν. Mitto alia. 26) Plut., Demetr. c. XXXVIII § 907; Lucian., de dea Syr. 17 sq.. 27) Plin., hist. nat. XXIX, 3, 1; VII, 37, 123 = ed. Sillig t. II, p. 39 cf. cum not. [4]); Append. [1]). 28) Cf. praeter II, not. [4]) Cc V, 2 = CA p. 566; Append. [2]). 29) K. XI, 196. 30) Diog. Laert. V, c. 2 § 15 = V § 57. 31) K. V, 602 sq.; 646; XVIII, I, 86. 32) Galen., qui fertur de catharticis in ‚Galeno adscriptis libris', Basil. 1562, p. 94. 33) Joann. Stob., floril. VI § 57 = ed. Meineke I, 171. 34) Suid. s. v. Ἐρασίστρατος. Jure me omisisse persuasum habeo Palladi Sophistae locum quendam (Sch. t. II, p. 157): in textu enim Graeco ἐραστὴν statim post cenam coeuntem cum muliercula apoplexia affectum esse exhibetur, in Juni Pauli Crassi versione Latina *Erasistratus* exstat, quod aut coniectura minime probabili aut forte fortuna textui converso videtur insertum esse; sed etiam si ‚Erasistratum' genuinam lectionem habeas, tamen ad hunc referre locum non licebit, praesertim cum alia de morte fabula in volgi oribus fuerit aliique satis multi fuerint, ad quos haec referri similius veri est. 35) Cc II, 4 = CA p. 375 inf..

Dictum denique eius praeter alterum illud morituri unum apud Caecilium Balbum qui fertur[36]) exstat: ad aegrum invisendi causa cum venisset eumque intus dormientem audivisset: *Meliorem*, inquit, *intus medicum audio.*

IV. De scriptis Erasistrati.

Quoniam scripta Erasistrati usque ad hanc aetatem non manserunt, nihil huius rei studiosis relinquitur, nisi ut fragmenta, quae hic illic inveniuntur in libris editis, colligant et emendent, fortene confectum conclusumque quoddam nanciscantur, spectantes.

Scripsisse Erasistratum IX de re medica libros Suidas[1]) tradit, quem numerum paulo infra diligentius examinabo, quorum Galeni iam temporibus non nulli deperiisse videntur.[2]) Sed tamen quae in singulis rebus natura librorum fuerit, cognosci licet ex Galeno, quippe qui Erasistratum et veterum et adversariorum opiniones non modo collegisse narrarit, verum etiam accuratius in ea inquisivisse[3]); exemplisque appositis[4]) velut Critonis[5]) et puellae Chiae[6]) praecepta sua cum optime explanavit, tum aptissime defendit. Plinius autem eum laudavit, quod herbarum mentione libros referserit[7]), et is, qui Galeni nomen in libro de catharticis inscripsit[8]), decreta artificiose confecta beneque discripta *ordinataque*, ut posteris utilitati essent, commemoravit. Quos libros si enumerare volueris, maximas invenies difficultates: primum quot fuerint, nescitur. Suidae[1]) enim computatio, qui *ϑ' ἰατρικὰ βιβλία* eum conscripsisse tradit, fragmentis, quibus uti nobis licet, minime comprobatur itaque Hallerus[9]) ‚de re medica libros IX‘ unum putabat fuisse ex Erasistrati scriptis. Sed tale quid probabiliter non statuitur cum propterea, quod quilibet medicus multos admodum de sua arte libellos compositurus unum ‚de arte medica‘ haud facile inscribet, tum quod omnia scripta aut nominare aut computare ex consuetudine Suidae fuit, unum alterumve afferre non fuit. Ergo numerum *ϑ'* falsum esse putare pergemus, sive is, qui scripsit a quove desumpsit, erravit, sive librarius munere suo

36) De nug. philos. quae supers. ed. Woelfflin, Basil. 1855, p. 33.

1) S. v. *Ἐρασίστρατος*. 2) K. XI, 221 (premas *μηδὲν*, id est *ne unum quidem,* respondens voculae, quae est *πάντα*). Nihil certi inest in K. XIII, 880 sq.. 3) K. XV, 435 sq.; 437 med.. 4) K. XI, 199. 5) K. XI, 193; 206 sqq.. 6) K. XI, 193; 200 sqq.. 7) Hist. nat. XXVI, 6, 2. 8) Galeno adscr. libr., Basil. 1562, p. 94. 9) Biblioth. med. pract. t. I, 118.

neglegenter functus est. Deinde autem maxime obstat, quod titulorum pars altera tantum saepius a veteribus laudatur, ita ut altera tituli parte alterum opus designari reamur. Denique unus idemque libellus prorsus alio nomine hic illic nominatur atque complura de una re scripta titulo *πραγματείας,* id est artis, significari solebant, ut in eis quoque adducamur, ut pro uno multa fuisse arbitremur. Quos errores data opera fugienti enumeranda erunt haec:

I. *οἱ καθ᾽ ὅλου λόγοι*[10]), II minimum libri, quibus de tota re medica Erasistratum egisse veri simile est[11]); idem est, quod apud Athenaeum[12]) *ἡ περὶ τῶν καθ᾽ ὅλου πραγματεία* inscriptum est.

II. *διαιρέσεων* libri II — nam semel *prior* legitur[13]) — quos aetate maxime provecta secundum Erasistrateos composuit Galeno[14]) teste.

III. *ἀνατομῶν* libri minimum II.[15])

IV. *ἡ περὶ αἰτιῶν γραφή.*[16])

V. *ὁ περὶ δυνάμεων καὶ θανασίμων*[17]), id est ‚de medicaminibus et venenis‘[18]), sive *ὁ περὶ δυνάμεων*[19]) sive *ὁ περὶ θανασίμων.*[20])

VI. *ὑγιεινῶν* libri II[21]) vel *ἡ τῶν ὑγιεινῶν πραγματεία.*[22])

10) K. II, 70; 93; V, 123, ubi liber I; II, 95; 105, ubi II laudatur. 11) Biographisches Lexicon der hervorragenden Ärzte etc. herausgegeben von Hirsch (Specialredaktion Gurlt), 1885, t. II, 292. 12) Dipnos. XV, p. 665 E vel F. 13) K. XI, 199. Prior autem invenitur Gell., noct. Att. XVI, 3, 3; posterior K. XI, 199; numerus non adscriptus est K. XI, 192 sqq.; 199; XVIII, I, 86. 14) K. XVIII, I, 86. — Artem dissecandi his in libris fuisse descriptam in ‚dictionn. encycl. des scienc. médic., direct. A. — Dechambre — L. Lereboullet‘, Paris 1887, s. Érasistrate et l. l. in not. [11]) legitur; Hallerus (biblioth. med. pract., t. I. p. 118) voculae Graecae ambiguitatem conservavit, cum ‚de divisionibus‘ scriberet. Haeseri denique opinio, qui ‚de differentiis morborum singulis aegrorum exemplis illuminatis‘ cogitabat (Lehrb. d. Gesch. d. Medic. u. d. epidem. Krankh. s. Erasistratus), firmiore Galeni fundamento exstructa videtur esse (K. XI, 191 sqq.); Append. [3]). 15) Ca III, 4 = CA p. 189, fortasse etiam K. IV, 718. 16) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 17) Jb. 74. 18) Cf. Petrum Castellanum (vit. illustr. medic., 1618); Hallerum (biblioth. med. pract. t. I, 118); l. l. in [11]). Haeserus vero perperam interpretatus est über tötliche Krankheiten (l. modo l.). 19) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 87. 20) Schol. in Nicandri alexipharm. v. 65, in Schneideri Nicandreis p. 81. 21) K. VII, 554; XI, 179; 235 sq., quae in libro Biogr. Lexic. d. hervorrag. Ärzte etc. ab Hirschio edito neglecta esse videntur, cum ibi wenigstens 2 Bücher exhibeatur. Liber I adscriptus est K. V, 880; VII, 537; ‚II salutarium‘ Ca III, 21 = CA p. 262; Cc. II, 7 = CA 385. 22) K. XI, 192.

VII. *περὶ πυρετῶν* III minimum libri[23]) eidem scilicet atque *ἡ (περὶ) πυρετῶν πραγματεία*[24]) vel Latine ‚liber de febribus'[25]); *ἡ τῶν πυρετῶν θεραπεία*[26]) aut pars operis extrema, nisi res me fallit, aut liber postremus videtur appellatus esse.

VIII. *τὸ περὶ τῆς ἀναγωγῆς τοῦ αἵματος βιβλίον*[27]) vel *σύγγραμμα*[28]), quod II minimum partes videtur complexum esse.[29])

IX. *ἡ τῶν κατὰ τὴν κοιλίαν παθῶν*[30]) vel *ἡ περὶ τῆς κοιλίας πραγματεία*[31]), Latine ‚libri de ventre'[32]); aut III aut plures libri fuerunt, quoniam III semel occurrit.[33])

X. *ἡ τῶν παρέσεων*[34]) scil. *πραγματεία* eadem ac *τὰ περὶ παραλύσεως*.[35])

XI. *ἡ περὶ ποδάγρας*.[36])

XII. Liber de hydrope[37]), quo Graeci medici nusquam usi sunt.

XIII. *ὀψαρτυτικόν*[38]), id est ars coquendi, in qua tamen scientia quoque herbarum magnum locum videtur tenuisse; nam Plinius[39]) scandicem in oleribus silvestribus ab Erasistrato haberi loco quodam huius libri usus affirmavit *refertaque herbarum mentione* eius *volumina* dixit[40]), id quod de medicaminibus acturus plenius describam.

Quorum complura Galenum titulo *πραγματεῖαι θεραπευτικαὶ*[41]) breviter comprehendisse persuasum habeo, cum Hallerus[42]) contra V praeter haec scripta Erasistrato vindicasset: I. librum adversariorum, II. librum contra medicos Coos scriptum, Clerico (Le Clerc) duce, III. de volneribus, IV. de consuetudine, V. librum de summa, Razeo Arabe praeeunte. Quorum I—IV Erasistratei omnino non sunt, V in Razei XXX voluminibus Arabicis accurato indice non

---

23) III enim profertur K. XI, 155; 176; XVI, 39; Ca I, 13 = CA p. 41; I K. V, 552; VIII, 761; XI, 155; 176; XV, 435; 438; 478; II K. V, 137 sq.; *τὰ περὶ πυρετῶν* legitur K. VII, 541; VIII, 760; XV, 702.
24) K. V, 141; 548; XI, 191 sq.; 198; 253.
25) Fabric., biblioth. ed. Harles. II, s. Erasistratus.
26) K. XI, 220; nec XIX, 37 neglegendum est.
27) K. VIII, 311; X, 376, ubi Erasistrati nomen non exhibetur, quamvis hunc potissimum Galenus intellexerit; XI, 175; 244 sq..
28) K. XI, 181. *Τὸ περὶ αἵματος ἀναγωγῆς* refertur K. XI, 148; 191; 216; 225; XVIII, I, 570 sq.; XIX, 14.
29) K. XI, 191. — Haeserus Lehrb. d. Medic. etc.) recte convertisse videtur über das Blutspeien.
30) K. XI, 192.
31) K. XI, 214.
32) Ca II, 30 = CA p. 146.
33) Cc IV, 3 = CA p. 522; II autem invenitur K. XVIII, 1, 6; Ca III, 17 = CA p. 244; Cc IV, 6 = CA p. 527.
34) K. XI, 192.
35) K. XI, 245; XVI, 673.
36) K. XI, 192; 245; Cc V, 2 = CA p. 566.
37) Cc III, 8 = CA p. 473; 487.
38) Athen., dipnos. VII p. 324 A; XII p. 516 C.
39) Hist. nat. XXII, 38, 1.
40) Ib. XXVI, 6, 2.
41) K. XI, 221.
42) Biblioth. med. pract. t. I, 117 sq..

iam instructis non quaesivi, in versionibus autem Latinis adhuc mihi non occurrit. Quodsi Haeserus[29]) praeter librum über das Blutspeien commentationem de sanguine in Erasistrateis numeravit, errasse eum puto: mihi quidem non contigit, ut tale quid invenirem.

V. Quid de Erasistrati ratione aliorumque veteres prodiderint.

Si quis de doctrina universa Erasistrati diligentius quaerere voluerit, quinque potissimum vel sectas vel sectarum principes reperiet, ex quibus apta pendere dicebatur: philosophos Peripateticos, medicos *ἐμπειρικούς*, id est qui experientia sola utebantur, Hippocratem, Chrysippum, Thessalum.

De Theophrasto autem supra egi[1]), ut eum ab Erasistrato neque auditum esse neque quicquam doctrinae ab illo ad hunc pervenisse ostenderem.

Cui rei cum plura addi non queant, experimenta sola spectantes iam videamus. Quo in numero Erasistratus certe ponendus non est, quippe qui istos riserit, quod insolentiam superbiamque prae se ferrent[2]); neque enim talem rationem, quamvis simplicia quidem ea assequi possent, ad composita requirenda valere[3]); qua re istos rerum naturam imperfecte perscrutari.[4])

Cum Hippocrate autem tot de rebus consentiebat, ut omnes enumerari non possint, eas vero, quas inter utrumque convenisse veteres proprie exposuerunt, enumerare non alienum ab hac causa existimo esse: I. uterque *γυμναστικῆς*, quae vocatur, peritissimus erat[5]); II. quod ad *τὸ ἡγεμονικόν*, hoc est principale, pertinet, sententiae concordabant[6]); III. *τὸν σφυγμόν*, hoc est pulsum, eodem uterque modo definiebat[7]); IV. renibus urinam secerni uterque docebat[8]); V. in febrium curatione hic illum plerumque sequebatur[9]), cum contra dissentirent: I. quod ille IV principia seu differentias, hoc est calidum, frigidum, humidum, siccum, innata esse existimabat, hic extrinsecus attracta indicabat[10]); II. quod ille *τὴν ἑλκτικὴν δύναμιν*, hoc est vim extrinsecus attrahendi, corporis

---

1) Cf. III, not. [14])—[18]). 2) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 3) K. I, 75. 4) K. I, 76. 5) K. V, 879. 6) Tertull., de anima c. XV, init.. 7) K. V, 508; cf. tamen XII. 8) K. II, 30. 9) K. XV, 435 sq.. 10) Cf. de his rebus ea capita, quibus singula enarrabo: VI, not. [23]) sqq.; XII, not. [5]) sq.; XIII, not. [50]) sqq.; VII, not. [3]); VI, not. [12]).

et atomis et partibus tribuebat, hic non tribuebat[10]); III. quod ille arterias sanguinis, hic *πνεύματος*, hoc est spiritus, vasa esse exponebat[10]); IV. quod ille *τὴν φλεβοτομίαν*, hoc est venae sectionem, commendabat, hic reiciebat[10]); V. quod ille *τῇ ἰσχυρᾷ καθάρσει*, hoc est vehementer purgantibus, medicos uti iubebat, hic vetabat[10]); VI. quod ille lienem animalibus alicui utilitati esse aiebat, hic negabat.[10]) Quae cum ita sint, Erasistratum in Hippocrateis non habebimus.[11]) Sed hoc quoque suis locis comprobabitur: nusquam hunc ab illius praeceptis temere recessisse, id quod Galenus genere dicendi illo sat noto significavit.

Quaenam autem inter Chrysippum et hunc similitudo intercedat, cum omnibus fere de rebus consenserint, enarrari non opus est. At ea enumerando seligere utile esse puto, quae maximi in hac causa momenti esse veteres significaverunt. Propria scilicet utriusque doctrinae, cum a reliquis medicis abhorrerent, erant haec: I. venas non secabant[12]), II. vehementer purgantia respuebant[13]), III. febrem similiter et definiebant et curabant.[14])

Thessalum unus semel de veteribus cum Erasistrato composuit, Galenus, ut illius *κοινότητας*, id est communitates, ab huius praeceptis abhorrere[15]) ostenderet.

Unde efficitur Erasistratum unius disciplinae legibus non adstrictum fuisse, sed omnibus ex disciplinis quodcunque optimum esse sibi persuaserat libasse; tamen eum, si universum spectamus, in Pythagoreis philosophis[16]) et in rationalibus medicis[17]) ponere non dubitabimus.

---

11) Plin., hist. nat. XXIX, 3, 1. 12) K. XI, 148 sq.; 151; 197 sq.; 216; 253 sq.. 13) K. X, 377; 379; XI, 244; Cc III, 8 = CA p. 487. Cf. etiam VII, not. [1]) sqq.. 14) K. XVII, I, 873; Cael. Aurelian., de signif. diaetic. pass. in Rosei anecdot. II, p. 226. 15) K. XVIII, I, 270. 16) Erasistratus a Chrysippo Cnidio maxime pependit, Chrysippus ab Eudoxo Cnidio, celeberrimo Pythagoreo (cf. biblioth. Graec. medic. comp. Fickel, Zwiccav. 1833, t. I, 52), id quod Dezeimeris primus recte statuit (dictionn. hist. de la médec. anc. et mod. s. Érasistrate). 17) K. XIV, 683 sq.; Claud. Galen. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I, p. 101 D; cf. etiam X, not. [62]) sq..

VI. Principia praeceptorum Erasistrati exponuntur.

Generales doctrinas Erasistrateas expősituro haec via sponte se offerre videtur, ut primum pronuntiata enumerentur, quaequae naturam omnia procreantem elementaque animalia spectant, legesque ab hac rerum natura profectae, deinde membra principalia eorumque facultates; postremo ratio curationis morborum curaeque valetudinis universa describatur.

Atque primum ut pronuntiata non solum poneret, verum etiam probaret, rerum natura ei diligenter perscrutanda fuit.[1]) Naturam autem reperiebat esse *προνοητικὴν τοῦ ζῴου*[2]) seu *τῆς τοῦ ζῴου διαμονῆς*[3]), *τεχνικήν*[4]), *μηδὲν ἀλόγως [μάτην] ἐργαζομένην*[5]) seu *μηδὲν εἰκῇ δημιουργοῦσαν*[6]), *οὐδὲν ἔχουσαν ῥωπικὸν*[7]) laudabatque[8]) eam, quod omnia corporis membra optime et posuisset et effinxisset.[9]) Quod enuntiatum sescenties Erasistratum ipsum temere diremisse Galenus affirmavit[10]), et profecto cum alia multa[11]), tum lienem[12]), omentum[13]), arterias in renes ducentes[14]) prorsus inutilia esse profiteri ausus est. Corporum autem animalium singulas partes ex innumerabilibus particulis componi docebat, quas *ἀρχικὰ* seu *στοιχειώδη*[15])[16]) sive *ἄτομα* Graeci, elementa seu corpora individua et solida[16]) Romani nuncupabant; etenim incongruae et impatibiles et immutabiles[17]) et steriles[18]) sunt. Ex quibus *τὰ φύσει συνεστῶτα* consistunt, hoc est natura cohaerentia[18]) velut animantia, semine, quod ipsum sanguis est[19]), auctore. Natura enim efficitur, ut semen quantum sanguinis opus est ad membra procreanda ad se attrahat[20]) attractumque commutet et constabiliat et varie fingat[21]), ita ut exsangues quoque partes eo conformentur[21]); quo autem

1) Cels. prooem. = ed. Daremb., 1859, p. 8, 29 sqq.. 2) K. II, 78; V, 131; XI, 158. 3) K. XVII, II, 321. 4) K. II, 78; 87 sq.; 102; III, 492; XI, 158. 5) K. III, 315; 364; XV, 308. 6) K. III, 537. 7) Plut., de amore prolis c. III = Didot. Plut. moral. I, p. 599 v. 46 sqq.. 8) K. II, 87; XI, 158. 9) K. II, 81. 10) K. II, 91; XV, 306; 308; cf. quoque III, 365 in Erasistrateos potius dicta. 11) K. II, 91; XV, 308. 12) K. II, 91; III, 315; V, 131; XV, 308. 13) K. II, 91; XV, 308. 14) K. II, 91. 15) K. XIV, 699. 16) Claud. Galen. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I, p. 104 G. 17) K. II, 102. 18) K. XIV, 699 comp. cum not. [16]). 19) Octav. Horatian., rer. medic. ad. Euseb. fil. lib. IV, Argent. 1532, p. 102 D inf. seu Theod. Priscian., lib. IV ad Euseb. fil. de physic. scient. = Medic. antiq. omn. qui Lat. litt. . . . Venet. 1547, p. 315 B. 20) K. II, 84 sq.. 21) K. II, 83; 86.

modo hoc fiat, non descripsit.[22]) Singulis vero membris procreatis altera potentia opus est, quae animales corporis functiones (*τὰς φυσικὰς ἐνεργείας*) regat; nam *τὰ φύσει συνεστῶτα* copulata sunt corpora rigida per se maximeque exigua: animantia autem fiunt calore extrinsecus attracto[23]), si quidem eius recta est temperatio.[24]) Extrinsecus autem calidum attrahatur necesse est, quod innatum[25]) omnino negabat esse; quam ob rem Galenus eum ait naturalium operum quaedam et in experiendo et in describendo plane omisisse.[26]) Atque cum in ea quaestione, quae de atomorum natura (*τὰ κατὰ μέρος*)[26]) ponitur, IV differentias vel principia[27]), calidi, frigidi, humidi, sicci, alicuius momenti esse negaret[26]), ea neque hominum corporibus[26])[28]) nec corporum variis partibus[26]) neque aetatibus[26]) neque humoribus nec *τῇ τριπλοκίᾳ*[30]), quam vocabat, hoc est arteriis, venis, nervis[31]), tribuebat. Quo factum est, ut ratio hos morbos curandi a reliquis medicis nec non a Galeno valde abhorreret: alias scilicet causas esse supponebat, cum IV differentiarum doctrina uti ei non licuerit[32]), nec scala illa medicaminum huius modi passiones sanantium, qua Galenus gloriabatur, uti potuit.[33]) Velut ulcera — ne sine exemplo loquar — quae partim *τῶν κατὰ μέρος*, partim *τῶν ὀργανικῶν* sunt[34]), prave curabat[34]) itidemque frigus et algorem.[35]) Aliam quoque calidi divisionem eum ignorasse Galenus tradit: innati et febrilis seu mordacis sive acris[36]) ideoque complura Hippocratea perperam interpretatum esse[36]), immo nihil omnino de calido probabiliter statuisse.[37]) His igitur potentiis, natura et calido, efficitur, ut ex elementis maxime exiguis inanimisque animal fiat; quibus rebus opus sit, ut vivere pergat, ubi de spiritu[38]) et sanguine[39]) exponetur docebo.

Corpora autem animalium non ita conformata sunt, ut elementa ubique artissime cohaereant, sed cava multis locis interposita sunt, quae tamen omnia, quotiescunque nascuntur, aliis materiis velut arterias spiritu[40]) impleri necesse est. Etenim secundum legem illam notissimann *αἰσθητὸν ἀθρόον οὐ δύναται γενέσθαι κενὸν*[41])

---

22) K. II, 86. 23) K. VII, 614; XV, 14; XVII, II, 204. 24) K. II, 121: *ἡ εὐκρασία τοῦ θερμοῦ τῶν ἐνεργειῶν αἰτία,* quod pronuntiatum etiam multis saeculis post Erasistrati aetatem suum in doctrina medica locum tenuit. 25) K. II, 113. 26) K. XV, 14. 27) Cels. prooem. = ed. Daremb. p. 9 v. 25 sqq.. 28) K. X, 310. 29) K. V, 685. 30) K. XIV, 697. 31) K. X, 120. 32) K. II, 118; X, 119 sq.; 184; 310; Cels. prooem. = ed. Daremb. p. 9 v. 27 sqq.. 33) K. X, 400. 34) K. X, 184. 35) K. VII, 615. 36) K. XVII, II, 204. 37) K. XVI, 38 sq.. 38) Cf. XII. 39) Cf. XIII. 40) Cf. XII, not. 5). 41) K. II, 99; similia K. II, 95; IV, 473.

alterius materiae particulae in locum alterius discedentis statim irruunt[42]), id quod τὴν πρὸς τὸ κενούμενον ἀκολουθίαν[43]), vim vacua statim replendi, Erasistratus vocabat. Una autem lex est, non duae sunt, quoniam prioribus verbis vacuum esse negatur, posterioribus vacuum compleri affirmatur. Qua de re Erasistratum latius exposuisse Galenus commemoravit[44]), et profecto ex reliquiis quibusdam hac lege regi cognoscitur facultates, quae sunt: I. desiderium cibum et potionem assumendi[45]), II. concoctio[46]), III. secretiones, quarum duae tantum afferuntur, fellis[46]) et urinae[47]), IV. respiratio[48]), V. sanguinis ex arteriis laesis effusio.[49]) Quam ob rem non erat, cur Galenus miraretur, quod τὴν ἑλκτικήν τε καὶ ἐπισπαστικὴν δύναμιν[50]) seu τὴν ἑλκτικὴν δύναμιν[51]) seu τὴν ὁλκὴν[52]) esse negabat. Itaque cum suis ubique rationibus[53]) eadem ac reliqui medici efficeret, hic quoque singulis animalium partibus facultatem attrahendi adimere potuit velut semini[54]), carni[55]), ventri[56]), renibus[57]), canaliculis bilem ferentibus in iecore[57]), vesicae felleae[58]), lieni[59]), utero[58]), nervis.[60])

Venio ad alteram corporum divisionem, τὴν τριπλοκίαν, hoc est ad eam doctrinam, qua doctrina omnia corporum membra ex III elementis quasi contexta esse comprobatur: nervis, venis, arteriis[61]); unum cerebrum, quod παρέγχυμα[61]) (id, quod alluitur) sanguinis esse videretur, horum elementorum particeps esse saepius negavit, sed — quamquam de hac re nihil traditum est — senem eum ab hac opinione decessisse existimo propterea, quod tum de nervis a cerebro ductis[62]) et de arteriis spiritum a corde in membranam cerebri ferentibus[63]) plenius exposuit, postquam ipse corpora dissecare coepit.[64]) Itaque neque humida velut sanguinem nec spiritum in elementis ponebat, quos συνεργούς, id est socios tantum scilicet caloris extrinsecus attracti[65]) ad animales functiones

---

42) K. II, 95 sq.. 43) K. II, 63 sq.; 77; 95; 97; 104 sq.; 204; 649; XI, 154; 324. 44) K. II, 204. 45) K. II, 104; 105, ubi εἰς τὰ κενώματα τῶν ἀπενεχθέντων maxime premas. 46) K. II, 63 sqq.. 47) K. II, 77; quamquam certa de urinae secretione Erasistratus non prodidit, tamen hoc potius quam illud ad eum pertinere videtur; cf. quoque II, 111; XVII, not. [1]) sqq.. 48) K. VIII, 324. 49) K. II, 95; IV, 709; XI, 154. 50) K. II, 74. 51) Velut K. II, 93. 52) K. II, 60; 62; 66; 68; 93; 96; 168. 53) K. II, 66; 96; XI, 324. 54) K. II, 85. 55) Sch. t. II, 151. 56) K. II, 60; 62; 168; 187. 57) K. II, 63; 93 sq.. 58) K. II, 187. 59) K. II, 133. 60) K. II, 96. 61) K. XIV, 697; 709 comp. cum Claud. Galen. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I, p. 104 F. 62) K. V, 602 sqq.. 63) Velut K. IV, 502. 64) K. V, 602 sq.; 646; XVIII, I, 86. 65) K. II, 121.

efficiendas esse dictitabat.[61]) Nervorum autem est et membra movere[66]) et sensus efficere[66]), venarum sanguinem nutrientem passim ferre[67]), arteriarum spiritui viam munire.[68])

Proximum est, ut de morborum curatione curaque valetudinis quaequae universum spectant enarrem.

Curatio morborum tota in eo posita est, ut causa recte dispiciatur; neque difficile posse dignosci generalem primariamve, ut nostrae aetatis medici locuntur, causam et accidentem secundariamve, ut eidem dicunt, in libro, qui *περὶ αἰτιῶν* inscriptus fuit, demonstravit.[69]) Quae causae sunt animales functiones diremptae[70]), quas esse Erasistratum negasse Palladius Sophista[71]), homo male sanus, ementiri ausus est. Cumque functiones variae sint, causae quoque variae morborum inveniuntur: facultatem digerendi diminutam vel diremptam, id quod *ἀπεψία*[72]) est, *πλῆθος τροφῆς*[73]) vel *πληθώρα*[74]) vel nimia ciborum eoque sanguinis copia consequitur, qua *κακοχυμία*[72]) seu [*δια*]*φθορὰ*[76]) seu *σῆψις χυμῶν*[77]), id est pravi suci, tum *παρέμπτωσις*[78]), id est

---

66) Haec II nervorum genera apud Rufum Ephesium (de membr. human. appellat. II, 17 in Med. antiq. Graec., Basil. 1581, p. 30) commemorantur; illud K. V, 125 occurrit, hoc 602 sq. compluribus exemplis illustratur. 67) Cf. et alia et Sch. t. II, 151. 68) Cf. exempli gratia K. III, 364; IV, 714; XI, 153 et quod XII, not. [5]) exponetur. 69) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 70) K. II, 126 sq.. 71) Sch. t. II, 151. 72) Plut., de placit. philos. V, 30 § 4 = Mor. ed. Didot. t. II, p. 1114, 14 sqq.; K. XIX, 344. Suntne Galeni verba ex Plutarcho delibata an uterque ex Erasistrati ipsis reliquiis hausit? 73) K. XIX, 344; Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230. Finis sententiae ab Oribasio additus esse potest, quamquam contra verba *πλῆθος τῆς τροφῆς* Erasistratum resipiunt. 74) K. VII, 538 sq.; XI, 220; Plut., de placit. philos. V, 30 § 4 = Mor. ed. Didot. t. II, p. 1114, 14 sqq.; Joann. Stob., floril. ed. Meineke III, 249. 75) K. V, 880; Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230. 76) K. XIX, 344; Joann. Stob. l. l.. 77) K. X, 101; Plut. l. l.. Solidas corporis partes patientes ab Erasistrato dictas esse, humores non esse Dezeimeris (dictionn. hist. de la médec. anc. et mod. s. Érasistrate) recte fortasse observavit, Erasistratum autem ipsum aut alium Erasistratum explanantem ita locutum esse noli sumere. 78) K. III, 493; V, 125; X, 101; XIV, 692; 728. Galenus vero iniuste fecit, quod omnium passionum causam *τὴν παρέμπτωσιν* esse bis (K. XIV, 692; 728) contendit, similiter atque apud K. VIII, 379 eum hominem ab Erasistrato sanum putatum esse affirmavit, qui neque tumore tubereve neque ulcere suppurationeve affectus esset, quasi hic pravos sucos (cf. not. [75])—[77])) eiusque passiones, menstruae purgationis retentionem (K. V, 137; XI, 191), insaniam (K. V, 133) omnino non novisset. Qua re ei quoque perperam iudicaverunt, qui his solis fidem habuerunt, Galeni studium res in maius vero augendi plane obliti, quo in numero sunt: Schwarzius (Heroph. u. Eras., eine histor.

sanguinis in spiritus itinera impetus, fiunt; facultatem bilem secernendi diremptam *πληθώρα χολῆς*[79]), id est nimia copia bilis, multique admodum morbi consecuntur; facultatem respirandi diremptam *τὰ ἀπὸ τῆς ἀναπνοῆς γινόμενα.*[80]) Itaque cum facultates animales turbatas veras morborum causas esse arbitraretur satisque haberet, si liceret eas invenire, usque ad corpora individua ratiocinatione procedere supersedebat[81]), quam ob rem haec passionum divisio imperfecta ab adversariis non semel dicta est.[81]) Quae autem, ut causas recte dignoscas, opus sint, Erasistratus ipse hunc in modum optime declaravit:

Καλῶς[82]) *οὖν ἔχει τὸν βουλόμενον ὀρθῶς ἰατρεύειν ἐν τοῖς κατ' ἰατρικὴν γυμνάζεσθαι καὶ μηδὲν τῶν γινομένων συμπτωμάτων περὶ τὸ πάθος ἀζήτητον ἀφεῖναι, ἀλλ' ἐπισκοπεῖσθαί τε καὶ πραγματεύεσθαι, κατὰ τίνα διάθεσιν ἕκαστον αὐτῶν γίνεται*

nec non:

Γεγυμνάσθαι[83]) *χρὴ τὸν λογισμὸν ὅστις μέλλει διαγνώσεσθαι καλῶς οὐ μόνον τὸ πάθος ὁποῖόν ἐστιν, ἀλλὰ καὶ τὸν πάσχοντα τόπον.*

Etenim si neque acumen ingenii neque sagacitas[84]) tibi fuerit, neque praesentes morbos bene dignosces neque futuros providebis[85]); quin etiam *συμπτώματα*[86]) — accidentia vel necessario sequentia — et *τὰς καθολικὰς αἰτίας* — generales vel primarias causas[87]) — persaepe confundes; ab his autem, quas aegrum membrumque affectum diligenter contuitus indagabis[88]), curandi ratio pendet[88]), quamquam illa quoque in passione recte definienda respicienda sunt.[89]) Sed cum eisdem causis variae passiones fiant velut plethora[90]), quae

---

Parall., 1826, qui unum errorem loci attulit), Wunderlichius (Gesch. d. Medic., qui errori loci plethoram solam addidit), Baasius (Grundr. d. Gesch. d. Medic. u. d. heilend. Stand., 1876, qui similiter fecit), Paulius (Realencycl. d. class. Alterthumswissensch., 1844, qui plethoram solam commemoravit). 79) K. II, 113 sq.; V, 123 sqq.. 80) Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230. 81) Sch. t. I, 240 (ex Stephani philosophi et medici commentario in Galeni ad Glauconem therapeuticen conscripto) comp. cum versione Latina in Medic. antiq. Graec., Basil. 1581, p. 118 A; K. XIV, 699 (ubi *ἐντεῦθεν* ad proxime antecedentia, id est *τά τε φύσει συνεστῶτα*, spectat, ad priora, *τὰ στερεὰ σώματα*, referri non potest) comp. cum Claud. Galen. Pergam. omn. q. ext. in Lat. serm. conv., Basil. 1561, part. I, p. 104 G. 82) K. V, 138 (ex Erasistrati libro *περὶ πυρετῶν* II depromptum. 83) K. VIII, 14. 84) K. VIII, 69; XVII, II, 263 sq.. 85) K. V, 139. 86) K. X, 101 alia. 87) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 88) K. X, 101 sq.. 89) K. V, 137 (ex Erasistrati *περὶ πυρετῶν* libro II desumptum). 90) K. XI, 237.

vocatur, eisdem ubique remediis uti tibi non licebit[91]), id quod ubi de plethora[90]), febri[92]), paralysi[93]) egit singillatim exposuit.

Restat, ut de cura valetudinis, quam τὴν ὑγιεινὴν Graeci dicebant, quid Erasistratus docuerit, addam. Etenim II partes artis medicae distinguebat, τὴν ἰατρικὴν et τὴν ὑγιεινήν[94]), atque in priore libro τῶν ὑγιεινῶν[94]), ni fallor in initio, ut exemplo quid vellet significaret, cruditatem[95]) et pravos sucos cibis corruptis adductos[95]) in illa posuit. Quid autem haec amplexetur, notione ipsa definita exponetur. Plutarchus[96]) enim et Galenus[97]), quorum alterum de altero exscripsisse minime mihi probatur, Erasistrati definitionem conservarunt hanc: τὴν δ' εὐταξίαν καὶ αὐτάρκειαν εἶναι ὑγιείαν, quae in editione Didotiana aptissime sic conversa sunt: ‚victus rationem moderatam et sufficientem corpori esse sanitatem' atque Caelius Aurelianus[98]) sanitatem secundum Asclepiadem et Erasistratum uniformem esse addidit, utpote quae quantitudine careret, quibus verbis ni mirum inest unam esse in homine sanitatis naturam et modum, cui neque addi neque demi quicquam liceat, cum morbo non afficiatur. Itaque recte eos incusabat, qui salutaria praecepta parum respexerant[99]), latiusque in II de hac re libro[100]) opinionem suam explicavit. Cuius libri si plura fragmenta maiorave adhuc exstarent, perfacile conclusa salutarium doctrinae enarratio hic apponeretur, nunc autem frustulis tantum uti mihi licet. Galenus enim in priore libro plethoram nascentem[101]), imprimis tonum seu tensionem plethoricam eiusque signa[101]), tum remedia[102]) velut quietem, exercitationes, sudores in lavacro secernendos, inediam, tenuem victum omissa venae sectione[103]) descripta fuisse affirmavit pauculaque exempla apposuit[104]) et Caelius Aurelianus in posteriore libro de biliosis passionibus[105]) et de catarrho[106]) disputatum fuisse testatus est. Quibus in libris Erasistratus cum tam diligenter enarrarit τὸν τονώδη κόπον et exercitationibus et sine exercitationibus oriri[107]), in arte gymnastica similiter atque in plethorico statu bracchia, suras, manus, alia

91) K. XI. 235; 237 (ex priore τῶν ὑγιεινῶν libro descriptum). 92) K. XV, 436 sqq. (ex I περὶ πυρετῶν libro excerptum). 93) Cc II, 1 = CA p. 363. 94) K. V, 879 sqq. (ex priore τῶν ὑγιεινῶν); 897; VI, 77. 95) K. V, 880. 96) De placit. philos. V, 30 § 4 = Mor. ed. Didot. II, p. 1114. 97) K. XIX, 344. 98) De salut. praecept. in Rosei anecd. Graec. et Graecol. II, 197, 10. 99) K. V, 880. 100) Cf. IV, not. [21]) sq.. 101) K. VII, 554 sqq.; XI, 179 sqq.. 102) K. XI, 179 sqq.; 234 sqq.. 103) K. XI, 191 sq.. 104) K. VII, 554 sqq.; XI, 234 sqq.. 105) Ca III, 21 = CA p. 262 sq.. 106) Cc II, 7 = CA p. 385 sq.. 107) K. VI, 294 sq..

tendi[108]) multisque exercitationibus plethorae medendum esse[109]) exposuit, nisi cui incognitae plane essent[110]) aut periculum esset, ne sanguis ex faucibus effunderetur[111]) aut vas in thorace rumperetur[112]), omnem suam de hac re opinionem hic comprobasse videtur. Ergo II alios locos ibi fuisse conici licebit: alterum[113]), ubi admonuit, ut homines cottidie corpora exercerent, post quieti se darent, tum refrigerati cibum sumerent, alterum[114]), ubi, quando exercitationibus abstinendum esset, docuit. Multa autem et alia Erasistratum hac de re statuisse concludes loco[115]) inspecto, ubi re vera artis gymnasticae peritissimum Galenus eum appellavit. Praeterea vero locum Oribasi[116]) ex Erasistrato ipso descriptum, si optio fiat, his potissimum scriptis assignemus, scilicet ubi admonuit, ut victus ubique in itineribus faciendis cum aëre, cibo, potu satis conveniret et aqua propter nitrum vel salem perniciosa vino odorato optimoque melle temperaretur. Quaeque in I *περὶ πυρετῶν* libro[117]) praecepit, scilicet ut in inflammationibus ob volnus ortis sana quoque corporis loca inungerentur, apte locum ibi habuisse videntur. Fortasse etiam permagnam ciborum copiam suo tempore sumptam utilem esse, alieno tempore sumptam inutilem[118]) exemplis appositis docuit in illis; sed hanc rem, quoniam certius quicquam nescimus, totam malo enarrare in proximis quam distinctione haud probabili facta *τὰ ὑγιεινὰ* et *τὰ ἰατρικὰ* in describendo seiungere.

VII. Quibus in universum remediis Erasistratus usus sit, adumbratur.

In remediorum silva, quibus Erasistratus utebatur, purgatio (*κάθαρσις*)[1]) longe latissime patebat propterea, quod ad plethoram, tot morborum causam[2]), dirimendam valebat. Cuius varias rationes perlustraturis respiciendum est vehementer purgantibus Erasistratum

---

108) K. VII. 539; XI, 260. 109) K. XI, 180; 237 sq.. 110) K. XI, 238. 111) K. XI, 239 sq.. 112) K. XI, 180. 113) K. XVII, II, 10. 114) K. VI, 37. Hic quoque Galenum Erasistrati doctrinam non prorsus recte enarrasse patet, praesertim si not. [115]) compararis. 115) K. V, 879. 116) Ed. Bussem. et Daremb. V, 230. 117) K. XI, 155. 118) K. XV, 698.

1) K. X, 377; XI, 171; 244; Cels. IV, 31 = ed. Daremb. p. 158, 27 sqq.. 2) Cf. Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230; K. XI, 192; XIX, 344 nec non XV, not. [1]) sqq..

nusquam[3]) usum esse, mitibus non abstinuisse. Sunt autem primum ea, quae victum spectant: inediae, vomitus, alvi subductiones, clysteria, secretiones urinae; tum ea, quae corporis reliquam curam spectant: ligationes, exercitationes, deambulationes, lavationes, frictiones, sudoris secretiones.

Inedia plethoram diminui[4]) Erasistratus docebat eo, quod vacuas venas sanguinem propter copiam in arterias se effundentem facillime recipere[5]) putabat. Sunt autem III eius genera: et tota[6]) et dimidia[7]), ut sit aut ὀλιγοσιτία[8]) seu λεπτὴ δίαιτα[9]) aut ὀλιγοποσία[10]), et certa tempora[11]) aut certos cibos potusve[12]) spectans; morbi autem, quibus ita medebatur, sunt plethorae comites: vitium comitiale[13]), passiones renum[13]), lienis[14]), iecoris[14]), haemorrhoides[15]), inflammationes[16]), praeterea ileus[17]), repressio menstruorum[18]), quae haemorrhagia et febri indicatur[18]), aqua intercus[19]), denique omnes morbi modo nascentes.[20]) Inediae autem loco vomitum (ἔμετος)[21]) commendabat tepido potu[22]) post cenam concitandum[23]) et eis, qui plethora[24]) et paralysi[25]) affecti sunt, et qui ex felle[22]) laborant, quoniam tum cibi os inter stomachumque

---

3) K. X, 377; 379; XI, 244. Qua re Baasium (Grundr. d. Gesch. d. Medic. u. d. heilend. Stand., 1876) demiror, quo pacto Erasistratum a purgativis omnino abhorruisse arbitratus sit; nam praeter vinum eum potum melle mixtum (μελίκρατον) et castorium ad alvom ciendam adhibuisse legimus nec multo plura quam quae nos nunc data opera conquirimus fuisse quisquam negabit. 4) K. XI, 179 sq.; 237 (cum quiete coniuncta). 5) K. XI, 176 (ex I περὶ πυρετῶν libro). 6) K. XI, 182; 237. 7) K. XI, 182; 237; 240. 8) K. XI, 240 (ex priore τῶν ὑγιεινῶν libro). 9) K. XI, 180. 10) K. XI, 240 (ex priore τῶν ὑγιεινῶν libro). 11) K. XI, 237 (ab exercitationibus primum ne edas, tum paucula sumas). 12) Cc III, 8 = CA p. 487 (legumina et olera, cum facilitas ventris non sit, hydropici vitent); Cc IV, 3 = CA p. 522 (digestibilia et nutribilia ventriculosi ne comedant); K. XI, 240 (potu non necessario qui renum morbis plethoricis petiti sunt abstineant); Cc III, 8 = CA p. 488 (potum parvom post prandium hydropici ne bibant). 13) K. XI, 240 (ex priore τῶν ὑγιεινῶν libro). 14) Ib. infra. 15) K. XI, 246 (ex libro περὶ τῆς τοῦ αἵματος ἀναγωγῆς). 16) K. XI, 176 sq. (ex I περὶ πυρετῶν libro); 196; 220, quorum hoc ex libro quodam περὶ πυρετῶν conscripto desumptum est; 221 sq.. 17) Ca III, 17 = CA p. 245. 18) K. XI, 199, scil. quo tempore natura sanguis menstruus emittitur; legebatur vero in huius τῶν διαιρέσεων libris. 19) Cc III, 8 = CA p. 487 (legumina et olera, cuicui ventris facilitas non est, vitet hydropicus). 20) K. XI, 220 (ex libro quodam τῆς περὶ πυρετῶν πραγματείας); 252 (ib.). 21) K. XI, 180. 22) Ca III, 21 = CA p. 262 (ex altero ὑγιεινῶν libro). 23) K. XI, 180; 182; 238; Cc II, 1 = CA p. 364 (ex libro de paralysi petitum). 24) K. ll. ll.. 25) CA l. l..

quasi suspensi esse viderentur.[24]) Neque dissimilis est alvi ductio[26]) (τὴν κοιλίαν ὑπάγειν[27])), quae fit vino cum aqua frigida mixto[28]) vel vino cum melle composito (μελίκρατον)[29]) vel castorio[27]) vel ficu et herbis, quae chamelaea et chamaepitys[30]) vocabantur: pertinet autem ad tenuioris intestini morbum[26]) et anginam plethoricam.[27]) Praestat clysterio (κλυστήρ) te uti, quotiescunque alvom quam celerrime elicere vis, sitque simplex, id est nulla acriore materia confectum[31]), velut in paralysi[32]), aqua intercute[31]), ileo, in quo ex nitro et sale componitur.[31]) Adde urinae secretionem (ἔκκρισις οὐρήσεων)[33]) in haemorrhoidum[33]), iecoris[33]), fellis[34]), aliis passionibus nec non in aqua intercute adhibendam[33]); efficitur vero aut potu uretico, cuius scripturam addere oblitus est[33]), aut vino mero[35]) vel cum aqua frigida misto.[34])

Venio ad ligationes vel constrictiones, quae Graece dicebantur δεσμός[36]), ἀπόδεσις[37]), διάδεσμος[38]), τὸ διαδεῖν[39]); applicabantur autem ad alas[40]), crura[41]), femora[41]), bracchia[41]), inguina[40]), pudenda.[42]) Quae fasciae (ἔρια)[43]) apponendae eo magis ab Erasistrato commendabantur, quo minus venae sectiones probabat[44]); nam in his ait nutriri aegros opus esse, ut inflammationes perferrent[45]), in illis vires neque adimi neque cibis sumptis reficiendas esse.[45]) Morbis autem medebatur his: ulceri in pulmone orto[46]), sanguinis sputui[41]), haemorrhagiae[47]), videlicet plethorae minuendae causa.[48])

Quoniam ad ea, quae in priore capite de exercitationibus (γυμνάσια) exposui, ex libris adici nihil potest, ad deambulationes (περίπατος)[49]) accedo. Varie autem eas esse instituendas docebat: lente et in planitie ab eis, qui haemorrhoidibus[50]), post cibum qui haemorrhagia[51]), in arenosis locis qui paralysi[52]), ante aestus aëris

---

26) Cels. IV, 20 = ed. Daremb. p. 146, 19 sqq. 27) K. XI, 206. 28) K. XI, 171. 29) K. VI, 458. 30) Cc III, 8 = CA p. 488 sq. 31) Cc III, 8 = CA p. 487; Ca III, 17 = CA p. 244 sq. 32) Cc II, 1 = CA p. 363. 33) K. XI, 246; Cc III, 8 = CA p. 488. 34) K. XI, 171. 35) Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230. 36) K. X, 377. 37) K. XI, 148 (ex libro περὶ αἵματος ἀναγωγῆς). 38) K. XI, 181. 39) K. XI, 191. 40) K. XI, 148; Cc II, 13 = CA p. 416. 41) Cels. IV, 11 = ed. Daremb. p. 135, 1 sq.; κῶλα, i. e. ‚membra' simpliciter scriptum est K. X, 377; XI, 191 (ex primo περὶ αἵματος ἀναγωγῆς libro). 42) K. XI, 148. 43) K. XI, 244. 44) K. X, 377; XI, 191. 45) K. X, 377 inf. 46) Ib. tota pagina. 47) Cc II 13 = CA p. 416. 48) K. XI, 181. 49) K. XI, 246 (ex libro περὶ αἵματος ἀναγωγῆς). 50) Ib. supra. 51) Cc II, 13 = CA p. 417. 52) Cc II. 1 = CA p. 364.

vel ad vesperam qui hydrope[53]) affecti essent, saepiusque numerum stadiorum addidisse videtur, id quod Galenus risit.[54])

Praeterea lavationes (λουτρά[55]), βαλανεῖα[56]), ψυχρολουσίαι[57])) utilissimas esse dicebat non solum ad plethoram ipsam[58]), verum etiam ad eius comites sanandos velut venas ruptas[59]), passiones renum.[60]) In hydrope autem nisi plurimo tempore interposito eis uti quemquam vetabat.[61]) Frictiones (τρίψεις)[62]) quoque ut fierent, praecipiebat, imprimis haemorrhagiae[63]) et aquae intercutis[64]) curandae causa; de illis autem nihil definivit, harum certum numerum sub vesperum post unctionem in lecto fieri iussit[64]) aliasque numerum earum adscripsit[62]), qua re Galeno ludibrio fuit.[62]) Eadem ac frictiones utilitate sudoris secretiones (ἱδρῶτες[65]), ἐκκρίσεις ἱδρώτων[66])) sunt; nempe eis pars potionum, quae neque stercus neque urina fit neque per perspiratum non aspectabilem (ἡ ἄδηλος διαπνοή) ex corpore tollitur[67]), in sudorem mutatur; adhibeantur autem post corporis exercitationes in labris ad plethoram sanandam[68]), post ientaculum ab eis plethoricis, qui facile vomunt[68]), nullo certo tempore ad sedandum sanguinem in plethora effluentem.[69])

Venio ad ea remedia, quibus reliquas morborum causas tollebat, quorum ea primum enumerabo, quibus complures passiones, tum ea, quibus singulas sanasse videtur. Medebatur igitur tepidis vaporationibus (πυρίασις)[68]) et aliis plethoricis[68]) et menstruae purgationis retentione affectis, velut virgini Chiae uterum fumigavit[70]), et biliosis[71]) et synanchicis[72]), medicaminum infirmis locis impositione (φαρμάκων ἐπίθεσις[73]) seu προσβολή[73]), πρόσθετα[74])) omnibus fere aegrotis. Quorum nobilissima sunt cataplasmata (καταπλάσματα), quae ad membra constringenda maxime utilia sunt[75]) ideoque adhibebantur in plethora et synanchica[76]) et haemorrhagica[77]), quae accuratissime ab Erasistrato videntur fuisse descripta[78]), in fellis passionibus[79]), in ileo[80]), in dysenteria[81]), in

---

53) Cc III, 8 = CA p. 487. 54) K. XI, 215. 55) Velut K. XI, 180 sq.; 240. 56) K. XI, 181; 237. 57) K. XI, 240. 58) K. XI, 180; 235; 237; 239; praesertim cum a lavacro quieti te des; qua re quae K. XI, 180 exhibentur haudquaquam vera sunt. 59) K. XI, 181. 60) K. XI, 240. 61) Cc III, 8 = CA p. 488. 62) K. XI, 215; 218. 63) Cc II, 13 = CA p. 417. 64) Cc III, 8 = CA p. 487. 65) K. XI, 237. 66) K. XI, 246. 67) K. II, 70. 68) K. XI, 200; 237. 69) K. XI, 246. 70) K. XI, 200 sqq.. 71) Ca III, 21 = CA p. 262. 72) Ca III, 4 = CA p. 192 sq.. 73) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 74) K. XI, 200. 75) Cc V, 2 = CA p. 564. 76) K. XI, 206; Ca III, 4 = CA p. 192 sq.. 77) Cc II, 13 = CA p. 416. 78) K. XI, 214 sqq.; 222. 79) Ca III, 21 = CA p. 262. 80) Ca III, 17 = CA p. 244 sq.. 81) Cc V, 2 = CA p. 564.

aqua intercute.[82]) Componebantur autem ex farina et vino[79]), ex malis et vino[82]), ex ficu et herbis, quae chamelaea et chamaepitys[82]) vocabantur, ex myrto et vino et ficu et chamelaea (ἡ ὠμὴ λύσις)[80]), ex ruta[82]), quae, si occasio ferret, mixta coquebantur.[83]) Quorum genus satis notum μαλάγματα sunt ad partes affectas laxandas[84]), imprimis in arthrite vel podagra[85]) et in hydrope[82]), nec non pessuli (βαλανισμοί) ad ventrem movendum, quibus ipse fortasse non utebatur, disciplui certe utebantur.[86]) De sorbilibus autem medicamentis, quae potiones (ποτήματα)[87]) possunt appellari, in proximo capite, quod ‚de medicamentis' inscribitur, acturus sum. Nunc perunctionem in hydropicis post cibum vesperi, ubi dormitum iverunt, faciendam[88]) et cucurbitularum admotionem (σικύας προσβολή) et in aliis et in eis, qui ab animalibus venenosis morsi sunt, maxime accommodatam[89]) commemoro. Accedunt ea curationis genera, quibus et interiora ipsa sectione facta medicaminibus impositis sanantur, et quibus loca patientia prorsus auferuntur: illo genere utebatur in iecorosis, cum cutibus membranisque dissectis huic intestino ipsi quae utilia putabat esse imponeret[90]); hoc et amputationem (ἐκτομή, ἀποκόπτειν)[89]) et ustionem (καυστήρια)[89]) intellegimus, quarum alteram in venenatorum morsibus (θηριόδηκτα)[89]) et in vomicis sive internis collectionibus inter intestina et peritonaeum obortis (ἐμπυήματα)[91]) commendabat, alteram amputationem factam subsequentem in venenosorum morsibus.[89])

Restat, ut curandi rationes afferam eas, quibus in singulis passionibus utebatur; scilicet ‚pileo vini calidi infusione inflato capiti imponendo', ‚lanis vino et calido oleo madefactis lateribus ac praecordiis apponendis' catarrho medebatur[92]); ‚spongia lata et solida et cava aqua humectata vehementerque expressa capiti imponenda' fervoribus capitis nascentibus obest velut capitis dolori[93]); cathetere urinae in paralysi retentae, quando opus fuerit, cientur.[94])

---

82) Cc III, 8 = CA p. 488 sq.. 83) K. XI, 147. 84) Cc II, 1 = CA p. 364 not.. 85) Cc V, 2 = CA p. 566 sq.. 86) Cc IV. 7 = CA p. 533. 87) K. XI, 200. 88) Cc III, 8 = CA p. 487. 89) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 49. 90) Cc III, 4 = CA p. 454 sq.. 91) Cc V, 10 = CA p. 595. 92) Cc II, 7 = CA p. 385 sq.. 93) K. XII, 511; Aët. Amiden. ed. Ald. Manut., Venet. 1534, p. 110 B, 36 sqq.. 94) Cc II, 1 = CA p. 347.

VIII. De medicamentis.

Curandi rationes in universum perlustratas quaestionem de medicamentis instituendam subsequi nemo non exspectat atque manifeste ea divisio, quae in naturae operibus describendis maxime probatur, ipsa nobis se offert: animantium, plantarum, metallorum. In primo autem genere medicamina et ab hominibus et ab animalibus profecta discernenda videntur: lac muliebre merum contra venenosa[1]) et lac vaccae cum melle et sale contra debilitatem membrorum[2]) et intercutem aquam[3]); cerebellum avium cum vino mixtum contra anguium morsus[4]); castorium cum vino potum contra basiliscorum morsus[5]) et plethoram synanchicam.[6])

Postea deinceps numerus spectetur nempe multo maior medicaminum a plantis petitorum; referti enim fuerunt nominibus herbarum libri Erasistratei[7]) atque illum, qui ὀψαρτυτικὸν inscriptus fuit, supra[8]) commemoravi. Polenta (ἄλφιτα) igitur cum vino mista, ut cataplasma fiat, biliosi[9]), bene percolata et aqua plurima admista plethorici apte vescuntur[10]) nec non pane non fermentato (ἄρτος μὴ πεποιημένος)[11]); ex sesami farina salsus panis obdulcatus hydropicorum componitur[12]); ptisana (πτισάνη) aut suco solo ptisanae febri[13]), ileo[14]), paralysi[15]) medendum est; brassicae, in quibus scandix quoque ponebatur[16]), quo modo coqui deberent, prolixe Erasistratus enarravit[17]), quia ad plethoram tollendam, sive legumina (ὄσπρια) addis sive non addis[18]), utiles eas esse putabat[19]), similiterque paralysin[20]), tremorem[20]), sanguinis sputum curabat[20]); crambes domesticae (κράμβη ἥμερος) semen utile in anguium morsu[21]); cichorium intybus (κιχώριον) facit in ventris morbos[22]) et condiendi causa cibis adici solet[23]); lenticula in biliosorum febribus utere[24]); ius quoddam, quod καρύκη appellabatur, diligentissime in ὀψαρτυτικῷ descriptum fuit Athenaeo[25]) teste, unde

1) Schol. in Nicandr. Alexipharm. v. 65 = Schneideri Nicandr. p. 81. 2) Cc II, 1 = CA p. 364. 3) Cc III, 8 = CA p. 488. 4) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 87. 5) Ib. 90. 6) K. XI, 206; Ca III, 4 = CA p. 192 sq.. 7) Plin., hist. nat. XXVI, 6 § 2. 8) Cf. IV, not. [38]) sqq.. 9) Ca III, 21 = CA p. 262. 10) K. XI, 214. 11) K. XI, 238. 12) Cc III, 8 = CA p. 488. 13) K. XV, 438. 14) Ca III, 17 = CA p. 245. 15) Cc II, 1 = CA p. 363. 16) Plin., hist. nat. XXII, 38, 1. 17) K. XI, 214. 18) K. XI, 237 sq.. 19) K. XI, 147. 20) Plin., hist. nat. XX, 34, 1; Cc II, 1 = CA p. 363. 21) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 87. 22) K. XIII, 206. 23) K. XI, 214 sq.. 24) Ca III, 21 = CA p. 263. 25) Dipnos. XII, p. 516 C.

in arte medendi momenti cuiusdam videtur fuisse; sonchus albus calculos per urinam pellit et commanducatus graveolentiam oris corrigit[26]; intybus agrestis (σέρις) in ventris passionibus adhibetor[27]; cucurbita (κολοκύντη) in plethora[28] ut cucumis (σικυός)[28], pepo (πέπων)[28], ficus (σῦκον)[28]; hae cum myrto, vino, chamelaea, ut ἡ ὠμὴ λύσις fiat, compositae ileo medentur[29]; contusae et oleo madefactae[30] vel accedente certa chamaepityos et chamelaeae mensura aquam intercutem curant[30]; sucus rubi (βάτος) pro pastillo Androneo, si alia desunt, tibi sit[31]; ex malis et vino cataplasmata fiunt in hydropicorum tumores iecoris[32]; decoctio malorum vel pirorum vel pomorum biliosas passiones curat[33]; piper (πέπερι) collyriis oculorum miscendis prodest[34] itidemque crocus (κρόκος)[34] et murrha (σμύρνα)[34]; ex myrto aliis rebus appositis ἡ ὠμὴ λύσις comparatur ad ileum sanandum[29]; hederae chrysocarpi bacae tritae vinoque mistae aquam intercutem cum urina educunt[35]; tritae in rosaceo oleo calefactaeque et in cortice punici instillatae dentium dolori medentur in contraria aure positae[35]; Lysimachiam, quam lythrum Salicariam[36] esse harum rerum periti arbitrantur, Erasistratus valde celebrasse videtur, sed cui usui eam esse putarit, nescimus[37]; chamelaea myrto, vino, ficu temperata (ἡ ὠμὴ λύσις) utilis est ad ileum[29], si chamaepityn et ficus addas, ut cataplasma fiat, apta ad digestionem hydropicorum[38]; melle mero aqua noxia corrigitur[39], cum lacte et sale mixto paralytici curantur[40], cum lacte confuso cibi hydropicorum optime condiuntur[41]; mel cum aceto bibant paralytici febricula effecta[42]; cum vino qui in ileum inciderunt[43] omnesque febriculosi[44]; ex vinis Thasium, Chium imprimis Ariusium, Lesbium maxime laudabat[45] utebaturque meraco in catarrho[46], aqua frigida temperato in biliosis[47], cum farina misto in eiusdem generis morbis[47], cum lacte composito in febriculosis[48], cum castorio confuso in anginis[49],

26) Plin., hist. nat. XXII, 44, 1. 27) K. XIII, 206. 28) K. XI, 238. 29) Ca III, 17 = CA p. 244 sq.. 30) Cc III, 8 = CA p. 488. 31) K. XII, 903; XIII, 888. 32) Cc III, 8 = CA p. 488. 33) Ca III, 21 = CA p. 263. 34) Cf. not. [71]) sqq.. 35) Plin., hist. nat. XXIV, 47, 3. 36) Plin. ed. Lemaire, Paris. 1830, t. VII, I, p. 567. 37) Plin., hist. nat. XXV, 35, 1. 38) Cc III, 8 = CA p. 488. 39) Cc II, 1 = CA p. 364. 40) Orib. ed. Bussem. et Daremb. V, 230. 41) Cc III, 8 = CA p. 488. 42) Cc II, 1 = CA p. 363. 43) Ca III, 17 = CA p. 245. 44) Ca I, 13 = CA p. 41. 45) Plin., hist. nat. XIV, 9, 1. 46) Cc II, 7 = CA p. 386. 47) Ca III, 21 = CA p. 262; K. XI, 171. 48) Ca I, 13 = CA p. 41. 49) Ca III, 4 = CA p. 193.

cum hederae chrysocarpi bacis contrito in aqua intercute[50]); de medicamine, quod ἡ ὠμὴ λύσις vocabatur, cf.[29]); cataplasma ex vino malisque ab hydropicis tumore in iecore constituto conficiatur[41]); qui anguibus morsi sunt avium cerebellum et vinum potent vel digitum in calidam picem, tum in vinum immergant bibantque[51]), qui basiliscis vinum et castorium sorbeant[52]); qui ex oculis laborant unguentum ex vino aliisque medicamentis praeparent[53]); paralyticos denique per unum annum vinum potare vetabat[54]); mulsum ex aceto conficiatur paralyticis, cum febres irruant[54]); bulbi ex aceto et sulfure cum pice canum morsibus medentur[55]), cum melle illiti sanguinem sistunt[55]); acetum minime acre cum intybis valet ad ventriculosorum cibos condiendos[56]); oleo utantur hydropici ad tingendas ficos aridas pinguesque[41]); calefacto, vino admisto, lanas lateribus praecordiisque apponendas madefaciant catarrho affecti[57]), praeterea condimenti loco est[58]); oleum rosaceum calefactum cum suco bacarum hederae chrysocarpi in cortice punici instillatum et contrariae auri impositum dentium dolores tollit[59]); pice ei, qui serpentibus morsi sunt, digitos abluant[60]), bulbis ex aceto et sulfure confectis apposita canum morsus curat.[61])

50) Plin., hist. nat. XXIV, 47, 3. 51) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 87. 52) Ib. 90. 53) Cf. not. [71]). 54) Cc II, 1 = CA p. 363. 55) Plin., hist. nat. XX, 40, 1. 56) K. XI, 214 sq.. 57) Cc II, 7 = CA p. 386. 58) K. XI, 215. 59) Plin., hist. nat. XXIV, 47, 3. 60) Dioscor. Pedan. apud K. XXVI, 87. 61) Plin., hist. nat. XX, 40, 1.

Cetera seorsum emittentur.

Typis expresserunt Hesse & Becker Lipsienses.

Sententiae controversae.

1. Antiph. de nece Herod. § 13 iubeo sic legi: *Καίτοι, ἐμοὶ εἰ μηδὲν διέφερε στέρεσθαι τῆσδε τῆς πόλεως, ἴσον ἦν μοι καὶ προσκληθέντι μὴ ἐλθεῖν, ἀλλ' ἐρήμην ὀφλεῖν τὴν δίκην* eqs..
2. Ib. § 14 suo loco moveri non debet.
3. In verbis Antiphonteis corrigendis concinnitati soli nihil tribuendum est.
4. Aristoph. ran. 340 verba, quae sunt *γὰρ ἥκει*, abicienda sunt.
5. Eiusdem Plut. v. 806 genuinus est.
6. In Symposio et Phaedro Platonis Schanzium quae genuina sunt textu movisse exemplis comprobatur hisce: p. 177 B (*σοφοῦ ἀνδρὸς*); 181 C (*καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως*); 184 A (*καὶ τοῖς μὲν χαρίσασθαι, τοὺς δὲ διαφεύγειν*); B (*εἰς χρήματα ἢ εἰς διαπράξεις πολιτικάς*); 186 D (*καὶ ἐνόντα ἐξελεῖν*); 190 A (*κυβιστῶσι κύκλῳ*); C (*ἀσθενέστεροι γενόμενοι*). — 242 B (*ἀεὶ δέ με ἐπίσχει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν*); 246 E (*καὶ τοῖς ἐναντίοις*).
7. Terent. Phorm. v. 328 delendus non est.
8. Ib. vv. inde a 1026 usque ad 1031 optime cohaerent neu mutentur.
9. Stat. silv. II, 1, 104 sq. lege:

   Tu tamen et mutas etiam tunc murmure voces
   Vagitumque rudem fletusque infantis amabas.
10. Ib. 179 prolutus scribendum est.

Vita.

Natus sum Maria Mauritius Petrus Guido Robertus Fuchs Balatimorae Americae septentrionalis die XVIII mensis Januari anni h. s. LXVIII patre Guidone, matre Blanca ex gente Verdier ibidemque ritu Romano baptizatus sum. Anno post Europam ingressus primum Ebersdorfi Ruthenorum, deinde Dresdae, Koetzschenbrodae, Lipsiae elementis litterarum sum imbutus, tum anno LXXIX in V, qui dicitur, coetum gymnasii ad aedem S. Thomae receptus sum. Confirmatione facta fidem profiteor evangelicam. Post tentata, quam vocant, maturitate per III semestria inde ab aestivo anni LXXXVII in universitate litterarum Lipsiensi totum ad studia doctrinae me contuli, cum et scholas frequentarem Brugmanni, Gabelentzi, Hansseni, Koegeli, Koertingi, Lipsi, Ribbecki, Wachsmuthi, Windischi et proseminarii regii philologi per II semestria sodalis, per I, senior essem. Unde Argentoratum adii, ut Groeberi, Leonis, Michaelis disciplinis uterer et proseminarii regii philologi sodalis esse pergerem atque inde ab aestivo anni LXXXIX tempore Lutetiae Parisiorum litteris vacavi scholasque frequentavi hasce: in Sorbona Decharmi grammatici et Séaillesi philosophi, in collegio Franco-Gallico Arboisi de Jubainville, Bréali, Parisi, in schola cartarum, quem ad modum locuntur, Meyeri. Adscriptus denique ad numerum civium academicorum universitatis litterariae Berolinensis inde ab autumno anni LXXXIX educandum me dedidi viris optimis his: Curtio, Dielsio, Diltheio, Ebbinghausio, Huebnero, Kirchhoffio, Paulseno, Toblero, Vahleno, Zellero. Seminarii autem regii philologi consessibus per III semestria interfui. Praeceptoribus illustrissimis meis, quibus quaecunque adepturus sum me debere non ignoro, gratum me praebere non desinam, neque unquam colere ac vereri desistam Lipsium et Ribbeckium, qui me, ut grammaticae studere pergerem, eloquentia sua hortabantur, Wachsmuthium, qui, ut quod propositum fuit perscriberem, mentem meam quamquam nescius incitabat, Kirchhoffium et Vahlenum, qui, ut ad finem quendam horum studiorum pervenirem, novissime operam enixe navabant.